OBSERVATIONES

ANATOMICO-MEDICÆ

DE

SANA ET MORBOSA OESOPHAGI

STRUCTURA.

JANI BLEULAND

MEDICINÆ DOCTORIS

OBSERVATIONES ANATOMICO-MEDICÆ DE SANA ET MORBOSA OESOPHAGI STRUCTURA.

CUM FIGURIS.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP.
MDCCLXXXV.

Anatome carere posse neminem, qui hominum sanitatem tueri vult, atque juvare, res est adeo evidens atque explorata, ut de ea addubitare turpissimum videatur. Quamvis vero vix non omnes concedant, tirones qui arti discendæ nomina dederunt, demortuorum corpora incidere debere visceraque scrutari, plures tamen iis convitiantur, qui anatomiæ paulo exquisitius student, & solerti ac subtili sectione, variaque encheiresi, ut corporis compagem investigent, annituntur. Nemini autem ignotum est, admirabilem humani corporis fabricam, summamque ejus perfectionem ex minimis constare, omnem sæpe sensuum aciem fugientibus; quare si in anatomicis exercitationibus ea demum oculis exponuntur, quæ obvia sunt, & cuivis in sensus incurrunt, neglectis aliis, quæ, quod recondita sunt, majori solertia erui & in lucem exponi debent, rudis manet scientia & manca, quæ nec tironem satis instruere nec artem salutis humanæ præsidem ad majorem certitudinem, nobilitatemque perducere potest.

PLATNER.

PRÆFATIO.

Nuper de Arteriolis Lymphaticis agens, promisi laboris mei in hac materia assiduitatem; cum autem opportunus præcedenti hyeme defuerit locus ad operis tam subtilis tractationem, mecum statuebam, quasdam colligere observationes anatomicas, subtiliorem pariter partium quarumdam fabricam exhibentes, iisque contemplationem status morbosi ejusdem partis, cujus sanam fabricam explicaveram, subnectere, atque tandem observationes addere anatomico-pathologicas, quibus constet, quænam sit, sanam inter atque morbosam partem differentia, ne omni utilitate practica carere dicantur nostra anatomica scrutinia.

Licet autem observationes anatomicæ, quas primus hicce fasciculus continet, novæ nòn sint, & de eodem morbo antea, quando Musis Leidensibus valedixi, egerim, attamen, quantum scio, a nemine tali modo figuris illustrata est, æque integrarum ac

læſarum partium fabrica, quali eandem poſtea inveſtigavi, quamque nunc in lucem emitto, ut putaverim hac demum ratione tranſitum a ſaniſſima fabrica ad lethalem degenerationem cognoſci poſſe, ac mereri hunc perniciofum morbum, qui denuo plenius examinetur, & obſervationibus, quæ ſeſe mihi obtulerunt, illuſtretur.

Itaque oeſophagi ſani ſtructuram, morboſi degenerationem, morbi ſymptomata, cauſas, curationem, examinare hoc faſciculo ſcopus eſt, qui ſi non plane diſpliceat, & aliarum partium fabricam, earundemque morbos, ſimili modo inveſtigatos, in ſequentibus deſcribam, qualium obſervationum numerus non exiguus ad manus eſt.

IN-

INTRODUCTIO.

Inter omnes Corporis Humani partes, quibus, ut rite ſuas functiones peragat, quam maxime integris opus eſt, poſt illas, quæ vitales peragunt, nullam nominare auſim, quæ plus in totum hominem valeat, quam oeſophagus.

Si enim vel ſubita vel lenta læſione actio hujus partis multum imminuitur, aut tandem plane intercipitur, non aliud iter cibis potibusque ore aſſumtis ventriculum verſus patet: Horum autem in ſtatu ſano ad firmandam nutriendam reparandamque laborioſiſſimam machinam, juſta requiritur quantitas & qualitas; deficientibus enim his, deficiet in ventriculo bonus chylus, neque reddetur inteſtinis, unde aut lactis aut lymphæ nutrititiæ debitam parando ſanguini copiam ducant organa, humores hosce vehentia, ſanguis tandem ipſe deficiet, & omnium ceterorum humorum ſecretio ceſſabit, naſcetur lentor in circuitu, ſpiſſitudo in glandularis ſyſtematis ſuccis, obſtructiones moleſtæ & in toto vaſculari ambitu omnium ſuccorum acrimonia.

Neque fluida ſola ſed etiam ſolida detrimentum inevitabile hinc capiant neceſſe eſt, exſiccantur enim fibræ muſculares, marceſcit, qui àntea pinguedine nitebat homo, nervorum vis infringitur, & ſic concurſu atrociſſimorum ſymptomatum, quæ non minus animum quam corpus afficiunt, vita exſtinguitur.

Itaque dolendum quam maxime eſt, non raro in ea via,

quam

quam tranſire deglutita debent, ut in ventriculum perveniant, oriri morbos, qui vel difficilem reddant hunc tranſitum, vel plane intercipiant, adeoque vel moleſtam & morboſam vitam ſecum trahant, vel inevitabilem poſt diriſſima ſymptomata & ſummam corporis emaciationem mortem producant.

Sæpius animum meum percuſſit dirus ille morbus, qui *dyſphagiæ* ſeu difficilis aut impeditæ alimentorum *depulſionis* nomine Medicis innotuit, qui frequentius & hodie, quam olim, perhibetur exſtare: Mihi quidem dum in Academia batava verſabar, varia ejus exempla videre contigit, & ita attentionem ad ſe traxit, ut pro ſpecimine academico, hujus morbi examen inſtituerim; præſertim cum inter plures, quos benevolus ſemper erga me tractandos concedebat, ægrotos, celeberrimus, jam præmaturo fato ereptus, van Doeveren, quædam fæmina erat Leidenſis, quæ diro hoc morbo, atrociſſimis ſtipato ſymptomatibus laborabat, ex quo caſu morbi progreſſum atque decurſum non tantum notare potui, ſed etiam illuſtrare figuris ad naturam partium, uti ſeſe poſt mortem habebant, paratis, ex quibus cauſa & indoles mali, (quas detegendi tam rara opportunitas) pulcre apparuerunt.

Addidi etiam tunc temporis figuram glandulæ præter modum tumentis & induratæ, quam in cadavere infantis quinque circiter annorum aſperæ arteriæ atque oeſophago adjacentem, occupatus exercitiis anatomicis, fortuna ita volente, detexeram, unde

unde intelligi poteſt, & ex aliis additis vel addendis nunc obſervationibus, mali ſedem eſſe aliquando in ipſa partis fabrica, aliquando & extra oeſophagum.

Poſtea mihi licuit etiam inveſtigare vitium oeſophagi ipſius, in cadavere virginis cujusdam, quæ Goudæ degens, cum ſub finem anni 1779. dyſphagia inciperet laborare, uſu ſucci inſpisſati cicutæ veræ tantum levaminis acceperat, & tam diu ſymptomatum ſilentium experta fuerat, ut ſpes ſanationis affulgeret; poſtea vero ſui negligens malo paulatim ingraveſcente exſtincta eſt.

Et quum intimam membranarum oeſophagi texturam, ex qua diſpoſitio ad modo dictos morbos deduci poteſt, accuratius examinare potui, hunc ordinem ſervandum eſſe cenſui, ut primo Capite accuratiorem præmittam membranarum oeſophagum conſtituentium deſcriptionem, figuris illuſtratam.

Secundo brevi tabella morbi initium decurſum ac finem narrem.

Tertio examinem illas cauſas, quæ partem ſanam in hoc illudve vitium proclivem reddant, vel occaſionaliter agentes directe, vel per ſua effecta oeſophagi actionem quovis modo lædentes, depulſionem ciborum difficilem reddere vel penitus impedire poſſint.

Quarto ex his præſentibus vel prægreſſis atque concomitantibus ſymptomatibus in indolis morbi cognitionem inquiram.

 Quin-

Quinto regulas prognoſticas ex malignitate vel benignitate harum omnium vel ominoſas vel fauſtas eliciam.

Sexto ſubjungam varias curandi methodos, varietati cauſæ conſtituentis accommodatas, quæ in triſti hoc morbo a Medicis proh dolor! plurimum minus felici ſucceſſu adhibitæ fuerunt. Quibus

Tandem Septimo ſupperaddam illas Hiſtorias anatomico pathologicas, hujus morbi malignitatem confirmantes, quarum mentionem ſupra jam fecimus.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

EXHIBENS DESCRIPTIONEM OESOPHAGI NATURALITER CONSTITUTI ET FIGURAS VARIARUM EJUS MEMBRANARUM, UTI OCULO ARMATO INSPECTÆ, APPARENT.

§. I.

Oesophagus est canalis cylindriformis membranaceo-musculosus, e pharynge, infra & pone cartilaginem cricoideam, uti ex infundibulo exortus, inde recta deorsum (*a*) inter asperæ arteriæ partem mollem sive membranaceam atque corpora vertebrarum descendens ad quintam usque dorsalium, ubi reclinatur parumper versus dextrum latus & ita liberum spatium magnæ arteriæ aortæ concedit, hacque directione descendit ad nonam vertebram, & hic medium spinæ dorsi iterum occupans, perforat diaphragma & superiori ventriculi orificio sive sinistro, quod cardia vocatur, sese inserit.

In brutis nonnullis reclinatio versus dextram partem, jam ad quartam dorsi vertebram locum habet, ejusque insertio ad duodecimam, uti GALENUS in Anatomia vivorum notavit.

Non-

(*a*) Vid. VESAL: de Corp. Hi. fabrica *L.* 5. *Cap.* 3.

Nonnulli oesophagum semper ab initio jam ad dextram asperæ arteriæ partem, non infra & pone illam situm esse putant (a): Ipse equidem animadverti in cadaveribus hoc ita videri, & prominere dextram oesophagi partem paulo extra asperam arteriam, sed inde non patet in vivo & erecto homine hoc ita sese habere; a relaxatione enim partium, a situ cadaveris, a compressione incumbentis sua mole asperæ arteriæ & pulmonum in illam partem, quæ dextrorsum vergere dicitur, tam parva mutatio apparens facile produci potest.

Quare potius credimus situm oesophagi in vivo & erecto homine eum esse, qui respondeat illi parti asperæ arteriæ, quæ mollis est, ut cedat facile, si bolus per oesophagum transeat, & hæc certe posterior est, ideoque oesophagum pone asperam arteriam positum esse tuto dicere poterimus.

In brutis prono corpore viventibus aliter & in variis eorum diversimode locatus est, quum vero varia in diversis animantibus positio non adeo quam ejus fabrica in homine ad nostrum scopum pertineat, ad alios auctores (b), naturalis historiæ cultores hic remitto, atque transeo ad partis ipsius fabricam.

§. II.

(a) Vid. MORGAGNE Epist. anatom. Undecima §. 48 & 49.

(b) Vid. HALLER Elem. Phisiol. *T. 6. Sect. 4ta pag. 95 & 96.* & MORGAGNE Epist. anat. Med. Undecima.

§. II.

Quum maximi in hoc opuſculo momenti ſit proclivitatem in varias morboſas affectiones ex ipſa partium fabrica illuſtrare, atque cauſæ iis anſam præbentes, ut plurimum in interiore canalis ſuperficie locum habeant, ab interioribus etiam in anatomica noſtra deſcriptione tunicis, quæ quidem oeſophagum conſtituunt initium ducemus, magni BOERHAVII exemplum ſecuti (*a*).

Deſcriptio autem noſtra imitatur exemplar præparati oeſophagi, ex cadavere infantis recens nati, deſumti, qui materie ceraceâ invaſa injectâ vivi ſpeciem præ ſe ferebat, non vero turguit rubore præternaturali, quo aliquando lætantur anatomici, quum tamen non ſemper inde clarior fiat cognitio, quomodo ſeſe partes in vivo homine habeant, & certe minus difficile eſt aliquot vaſcula ad rupturam uſque liquore colorato extendere, quam modum, quo ipſa humores ducant, imitari.

Dicet forte quis, quod ſubtiles adeo partes potius ex hominis adulti præparatis monſtrari deberent, quia fabrica tunc magis evoluta facilius & diſtinctius in illis conſpici poſſet; hoc autem de aliis partibus verius, quam de oeſophago inferri poſſe credo, in recens nato enim partes quidem exiliores adeoque conſpectu non

(*a*) Vid. Inſtit: Med. §. 73. & *ſeqq.*

non minus quam tractatu difficiliores ſunt, ſed minimum a naturali ſtatu aberrantes, quod nunquam de oeſophago adulti, uti parte tot injuriis expoſita dicere poſſemus; præterea occupationes practicæ me ſæpius avocant, quando ſolus me in arte diſſecandi exerceo, adeoque maxima pars cadaveris adulti corruptioni traderetur, & quæ aliquod tempus requirunt ut abſolvantur præparationes, minus feliciter ad finem perducerentur.

Cum ergo inter omnia oeſophagi præparata, quæ poſſideo, nullum ſit, quod tam accurate ſpeciem & colorem ſani & viventis imitatur, hunc infantis recens nati oeſophagum pro membranarum examine oculis ſubjeci; adjectæ figuræ monſtrant, quomodo ſeſe habeant ſingulæ.

Per longitudinem diſſecto canale interior ſuperficies primo oculis apparet, in qua conſiderandæ præcipue notabiles illæ plicæ (*a*), quæ per longitudinem decurrentes haud dubie fiunt ex telâ celluloſâ laxiore, quæ ſeſe inter omnes tunicas inſerens illas inter ſe connectit, adjuta ope vaſculorum atque nervorum ab una tunica ad aliam tranſeuntium.

Harum plicarum ut opinor magna eſt utilitas; nam præterquam quod multo amplius ſpatium concedunt innumeris arteriolis ac glandulis aut cryptis muciparis (*b*), efficiunt etiam, ut

(*a*) Tab. I. (*b*) Tab. I.

ut ductuli excretorii liberi ſint, abſque ut alter alterum premat aut turbet in ſua actione.

Sunt ſimiles hæ plicæ illis, quæ in ventriculo & valvulis quæ in inteſtinis occurrunt: differunt autem directione; in ventriculo enim irregulariter poſitæ ſunt, in inteſtinis transverſæ, & ſic ibi inſerviunt, ad remoranda tamdiu contenta, quamdiu neceſſe eſt ad nutritionis negotium; videmus & hic clare quam ſapienter auctor naturæ lentum hujus mutationis transitum fecerit; nec enim tam irregularis plicarum decurſus ac in ventriculo, neque transverſa earum poſitio uti in inteſtinis in oeſophago requiritur; diuturnior enim mora alimentorum, in hac parte magis noceret quam prodeſſet, imo ſi bolus major non ſtatim tranſeat a faucibus ad ventriculum, anxietates inſignes naſcuntur, imo ſubitanea mors per ſuffocationem produci inde poſſet, uti in poſterum videndi erit occaſio.

Itaque ſi adeſſe debeant plicæ in oeſophago, requiritur earum directio non transverſa ſed per longitudinem canalis.

Quod autem adeſſe ergo debeant hæ plicæ longitudinales etiam in oeſophago non tantummodo ſequitur ex modo dictis, & earum utilitas ſatis inde poteſt percipi; ſed artificii noſtri auctor hanc etiam fabricam vel fere ſimilem conceſſit alii parti, cujus uſus ejuſmodi ſtructuram requirere mox videbimus.

In inteſtino recto ſcilicet, præcipue in inferiore ejus parte tam longa mora contentorum non ita prodeſt quam in ventri-

cu-

culo aut duodeno inteſtino, quin immo quantam moleſtiam ſæpius creënt, ſi non facile poſſunt tranſire ſcybala inutilia, quæ remanent, poſtquam in ſuperioribus ventris partibus ſuccum alibilem amiſerunt, cuivis notiſſimum eſt, adeoque & hæc tubi inteſtinalis pars valvulas transverſas non habet; nonne ergo valvulis aut plicis carere potuit æque ac jejunum? videtur non potuiſſe carere, transmittenda in jejuno ut plurimum liquida & ſua natura lubricantia ſunt, dum dura, acria, & irregularis formæ corpora per hoc inteſtinum educi debent; quare ergo major reſpectu ceterorum inteſtinorum in hoc recto requiritur quantitas glandularum atque cryptarum muciparарum, quæ mucum glutinoſum ad lubricandam hanc viam continuo ſecernunt, deficiente enim hoc, oriuntur ab aucta partis ſenſilitate dejectiones alvinæ moleſtiſſimæ, teneſmi dolorifici aliaque in ipſa affecta parte, & per conſenſum in adjacentibus mala.

Adeoque & locus his organis ſecretoriis aptus requirebatur, qui ipſis hoſpitium præberet, & hæc facilem inveniunt ſedem in laxa celluloſa, a quâ hæ plicæ producuntur, ubi ſi glabra eſſet interior ſuperficies, magisque compacta celluloſa, non tam copioſæ aut tam liberæ eſſe poſſent hæ glandulæ aut cryptæ in ſua actione & mucus debitus deficeret, requirebantur ergo & in inteſtino recto tales plicæ; imo majores in illo ſunt, quam in oeſophago, & valvularum longitudinalium nomen revera merentur.

§. III.

§. III.

Obducitur oesophagi superficies interior eadem membrana tenui, qua os, labia, & cutis externa obteguntur, pro parte eam reliquimus in superiore præparati parte (*a*), pro parte detracta est in inferiore (*b*), excolor est hæc membrana, speciem tamen villorum, si in aqua fluctuat, exhibere videtur, hi vero villi proprie producuntur per arteriolas exhalantes, quæ huic tunicæ subjacent & apicibus suis tuberculatim quasi membranulam hanc elevant; quod æque respectu nervulorum atque arteriolarum patere potest: separata enim intima hac tunica videmus eam vasculis sanguiferis carere (*c*), & arteriolas ultimas prominere minimis suis apicibus (*d*) sub ea, sic etiam nervulis omnino caret & ab iis etiam separata ostenditur non tantum (*e*), sed experimenta WEPFERI (*f*), BOERHAVII (*g*), HALLERI (*h*), NICHOLSII aliorumque ostenderunt insensilitatem hujus membranulæ intimæ: Idem locum habet in ore, in ventriculo &c. Sed hæc intima oesophagi tunica crassitie ma-

(*a*) Tab. 1.
(*b*) Tab. 1.
(*c*) Tab. 1.
(*d*) Tab. 1. & 3.
(*e*) Tab. 1. & 3.
(*f*) Vid. WEPFERI de cicuta aquatica.
(*g*) BOERHAVII instit. Physiol.
(*h*) HALLER Elem. Physiol. Sect. 4.

majore gaudet juxta *Wepferum* (*a*) quam eadem hæc in aliis partibus.

In Prima Tabula oculis conſpici poſſunt ea, quæ de fabrica hujus tunicæ diximus, ſed ſecunda tabula monſtrat, quomodo non a ſubjectis ſeparata & accuratius conſpicillo inſpecta hæc pars ſeſe habeat: nimirum in hac figura apparet, quomodo innumeris foraminulis majoribus & minoribus ſit pertuſa, quæ minores ſine dubio ſunt poruli, per quos arteriolæ exhalantes rorem ſuum effundunt; dum majores ſunt oſcula ductulorum, quæ ex glandulis aut cryptis muciparis ſuccum mucoſo-glutinoſum excernunt.

Duplicis ergo ad minimum uſus eſt fabrica hujus tunicæ.

1°. Majore ſua craſſitie quam in ventriculo (*b*) obtegit nervulos eorumque ſenſilitatem ita minuit, ut quæ deficiente illâ, in tranſitu per oeſophagum maximos crearent dolores, nunc abſque ulla moleſtia tranſeant & ad ventriculum deſcendant; quam ſenſilis eſt cutis externa, ſi in aliqua parte epidermis deficiat; quam moleſta a blandiſſimis etiam in faucibus & ore interno eſt ſenſatio poſt decidentem cruſtam aphthoſam?

2°. Non obſtante ſtructurâ hac tenaciore poruli tamen, qui in illa adſunt, permittunt, ut arteriæ exhalantes lympidum ro-

(*a*) L. C. *p.* 121.

(*b*) Vid. WEPFERI L. C.

rorem atque ductuli excretorii glutinosum succum in canalis cavitatem effundere queant, adeoque summa utilitas, quam præsentem hanc tunicam præstare videmus, vix permittit, ut credamus, illam aliquando absque vitæ aut sanitatis notabili detrimento læsam fuisse, quod tamen fide digni viri (*a*) testantur; nos saltem credimus, si fors abraditur aliove modo læditur, summam requiri cautelam in assumendis potulentis, ne pessimi generis mala post se relinquant tales læsiones, quas in posterum videbimus morbo describendo præcipue ansam præbere.

Dantur observationes (*b*), quæ docent hanc tunicam in morbis vel pro parte vel ex toto nonnunquam rejici, quod fieri posse analogia docet, an autem ex morbosâ tali rejectâ parte ejus indoles tam facile distingui possit, non credo, saltem equidem ipse servo membranam tenaciorem oesophago longitudine & forma similem a vetulâ ore rejectam, ad quam in agone mortis versantem, ab amicis vermem rejectum putantibus, prima tunc vocabar vice; narrabant adstantes ægrotam per aliquot dies diarrhœa laborasse, alvo interdum sanguine tincta, pulsus jam erat debilissimus, irregularis, intermittens; manus & pedes frigebant, facies hippocratica & cito animam efflavit, humoribus certe putrida acrimonia solutis; hæc membra-

(*a*) HALLER in L. C. *p.* 99.
(*b*) Memoir. de l'Academie.

brana, dum rejiciebatur, ſanguine & muco corruptis ſquallebat, per biduum eam in aquam inmerſi, ut ſordes deponeret, quas tamen omnes tam nitide abluere non potui, ut membranæ indoles ſatis diſtincte cognoſceretur, conſiſtebat quidem adhucdum, ſed præ firma ſordium adhæſione eam ſatis diu in aqua relinquere non audebam, verens ne omnia ſimul in putredinem abirent, adeoque in ſpiritum illam immiſi, in quo adhucdum ſervatur: Utrum autem revera ſit tunica ipſa intima oeſophagi, an tubus ex tenaciore muco cohærens, quales ex aſpera arteria ejectos bronchiorum ramificationibus ſervatis vidi, non auſim pro certo determinare.

§. IV.

Separata jam hac intima tunica ad partium huic ſubjectarum explicationem tranſeundum eſt.

Partem igitur ejuſdem oeſophagi, ex quâ detracta intima membranula eſt, ſi inſpiciamus in prima tabula, apparent jam innumera punctula (*a*) rubra atque alba, quæ ſpeciem villorum etiam exhibuerunt; dum intima membranula tegebantur, & quo plus materie ceracea arteriolæ hæ turgent, eo plus mola vil-

(*a*) Tab. I.

villorum increſcit, ſi autem non nimis expanſa vaſcula ſint, apparent, uti in figuris monſtrantur.

Hi villi ſunt prominentiolæ quædam parvæ pro maxima parte rubræ (*a*), quæ arteriolarum fines hac in parte ſunt; partim albæ (*b*), (magis collapſæ, utpote quæ materia colorata expandi non poſſunt) quæ tunicam ſic dictam nerveam conſtituunt.

Harum Arteriolarum initium eſt ab arteriis oeſophageis, quæ ſtricto ſenſu nempe ſic dicuntur, nam præter eas etiam ex omnibus pectoris partibus quidam ramuli ad oeſophagum decurrunt, uti in pulcerrimis HALLERI faſciculis Iconum arteriarum', nempe ſecundo, tertio, atque octavo inprimis videre eſt, & ſic numerus arteriarum oeſophagearum eſt infinitus, quæ autem proprie ita dicuntur duæ ſunt; una eſt ſuperior, quæ ex ſuperiore arteriarum intercoſtalium oritur, exiliores ramulos dat exteriori ſuperficici oeſophagi, atque tunicæ muſculari & celluloſæ intermediæ, proditque ulterius ad tunicam vaſcularem (*c*), ex qua ſubtiliores ramuli ad glandulas cryptasve muciparas (*d*) mittit & tandem hac ratione innumeræ arteriæ ſive fiſtulæ exhalantes (*e*) finem inveniunt.

Hæ

(*a*) Tab. 3.
(*b*) Tab. 3.
(*c*) Tab. 5.
(*d*) Tab. 4.
(*e*) Tab. 3.

Hæ partem tenuiſſimam ſive rorem in cavum oeſophagi exhalant, quo in ſtatu naturali ſemper madet.

Quam naturæ operationem imitatur in mortuis injectio aquæ aut adipis in arteriam oeſophageam (*a*), inoſculantur etiam partim venulis minimis, quæ reducunt ſuperfluum a ſecretione ſanguinem in venam ſine pari, ſuadet etiam fabricæ ſimilitudo, ut credamus, in hac quoque parte, uti in inteſtinis, minimas arteriolas in arterias lymphaticas abire (*b*). Alter arteriæ oeſophageæ truncus eſt, qui inferior nominatur, a diaphragmatica oritur, ſimilem ac ſuperior habet diſtributionem ramulorum atque finem, & redux ſanguis in ſtomachicam coronariam venam reducitur.

§. V.

Nervorum, qui copioſiſſime per oeſophagi tunicas diſtribuuntur, origo quidem ab octavo pari & laryngeo recurrente horumque ramificationem per exteriorem tunicam celluloſam ſatis facile cultro anatomico poſſumus inveſtigare atque contemplari (*c*), quomodo autem ulterius per tenuiores tunicas ra-

(*a*) KAUW BOERHAVE *pag.* 86. *perſpirat. &c.*

(*b*) Vid. quæ de hac materia dixi anno præced. in Experim. Anatom. de Arter. lymphat. exſiſtentia.

(*c*) Vid. WALTHER *Deſcript. nervor. Thoracis & abdominis.*

ramuli tenuiſſimi diſpergantur & tandem nerveum ſubtiliſſimum reticulum conficiant, haud ita clare adhucdum exponi poteſt.

Certum autem eſt, magnum nervorum numerum ad oeſophagum decurrere, qui in ſingulis tunicis ſuos præſtant uſus; nimirum in muſculari fibras ad contractionem pro detrudendo bolo invitant: quin imo magis irritati violenter eas convellunt, quod non tantum videmus, ſi acre quid aut pungens in ipſo oeſophago hæret, ſed etiam ſi partes multum remotæ per conſenſum illum præ aliis partibus afficiunt; & ipſa animi pathemata vel in ſano ſtatu vel in morbis tales effectus ſæpiſſime in hanc partem edunt, ut ſenſilitate nimia peccare quandoque obſervetur (*a*): comitantur, uti in aliis partibus etiam vaſa in tunica vaſculari, & a vero non alienum videtur, ad cryptas muciparas etiam exiliores ramulos dari, qui in earum folliculis membranoſis contractiones producant, quibus ſecretio & excretio ſucci ſpiſſiuſculi promoveatur: Senſilitas etiam nerveæ talis eſt, ut ſi quid nauſeoſum aut pungens imo leviter titillans pharyngem modo tangat, muſcularis inde in varias imo retrogradas contractiones invitetur.

§. VI.

(*a*) Vid. BENJ. COOCK *Caſes and practical remarks in ſurgery Tom. II. p.* 108.

§. VI.

Figuræ primæ & ſecundæ delineationes exhibent, quomodo tunica intima atque nervea ſeſe habeant in particula minima oeſophagi in liquore fluctuante, in qua glandularum præſentiam non ſatis obſervabam, ut juxta eamdem de his agere poſſem, proximam autem, pro harum demonſtratione in qua numerus major aderat, ex aqua exemi & per ſemi horam ſibi reliqui, ut leviter ſicca fieret, pro glanduloſæ ſtructuræ hujus membranæ demonſtratione.

Vix eam a modo deſcripta diſtinctam tunicam nominare auſim, adeo enim inter ſe hæc cum nervea cohæret, ut ſeparationem non admittant & eamdem fere conſtituere videantur, unde de glandulis hiſce dicit KAUW BOERHAVE (*a*), infixæ ſunt baſi ſua, quantum ſeparatione videre potui, nerveæ tunicæ, uti cutaneæ cuti, velata intima, quæ villos facit, quam oſculis ſuis patulis perforant. Jam uti, ſimulac ex alia parte arteriolas minimas aquæ vel ſpiritui immiſſas fluctuantes ſibi relinquimus, ſeſe non ſuſtinent, ſed figuram ſuam mutant, collabendo aut cohærendo inter ſe invicem, ſic in his etiam ſubtiliſſimi apices (*b*) exhalantium ſeſe retraxerunt.

Si-

(*a*) L. C. §. 254.
(*b*) Tab. 4.

ſimul ac aqua non ſuſtinerentur, & paululum ſiccæ fierent: apparet autem ſimul, quod & in aliud genus vaſculorum tranſeant, in venulas nempe minimas, quæ diſtinctius apparuiſſent, ſi diverſimode coloratam materiem in vaſa hujus oeſophagi immittere potuiſſem, quod in hac præparatione fieri non potuit, venulas tamen adeſſe, in quas redeant arteriolæ, nemo inficias ibit (*a*). Conſpiciuntur & hic punctula multa albicantia, quæ præcedenti paragrapho jam deſcripſimus, atque demonſtravimus eſſe apices nervulorum, leviſſima tela celluloſa cum arteriolis minimis connexos: quæ autem præcipue in hac membrana notanda ſunt, ſunt Corpuſcula bene multa glanduloſa, a quibus tunica hæc nominatur, in particula ſexageſimam quartam partem objecti magnitudine æquante jam magna eorum copia conſpicitur (*b*), major eorum numerus eſt in oeſophago quam in inteſtinis, minus a ſe invicem diſtant, & magnitudine admodum diverſa ſunt, licet fabrica in omnibus eadem, nimirum, quævis glandula conſtat ex corpuſculis rotundis minoribus in infinitum decreſcentibus, hæc corpuſcula autem iterum ex variis partibus compoſita eſſe videntur, ſunt enim parvi folliculi, ad quos arteriolæ minimæ perveniunt & lympham ſanguinis colant, tenuior hujus pars abſorbetur iterum per exiliora re-

(*a*) Vid. HALLERUM *Elem. Phyſiol. T.* VI. *p.* 103 & 104. *Sect.* 4.
(*b*) Tab. 4.

reforbentia lymphatica, dum fpiffior remanet, quæ ex hifce folliculis per ductulos excretorios in cavitatem oefophagi ad lubricandam intimam membranam (*a*) effunditur.

§. VII.

Quæ nunc fequitur proprie vocatur vafcularis tunica (*b*), quæ cum modo defcripta (*c*) per telam cellulofam cohæret & revera aliam tunicam conftituit, modica enim attentione & dexteritate fui feparationem admittit, nullam enim aliam connexionem cum glandulari habet, quam per vafcula minima oculo inermi ferme non confpicua, & tenuiffimam cellulofam.

Arteriolarum ramificatio ex infpecta tabula 5[ta] cognofci facile poteft, quare multa de hac dicere non opus eft, tortuofos (*d*) multos dat ramos, alio plane modo ac in ventriculi & inteftinorum tenuium vafculari tunica, multas etiam tamen inter fe anaftomofes faciunt.

Si omnes corporis humani diverfas partes, præcipue autem membranas inter fe invicem comparemus, arteriis cera repletis, videbimus, uti arborum omnium diverfimodæ funt ramificationes, (licet tamen quævis fpecies generis fui ramorum dif-

(*a*) Tab. 1, & Tab. 2.
(*b*) Tab. 5.
(*c*) Tab. 4. & §. 6.
(*d*) Tab. 5.

disperſionem ſervet) uti vaſculorum per folia, flores, fructus, &c. diverſi decurſus, ſic etiam in homine locum habere: Omnium arteriarum quamvis omnium unus communis truncus ſit, in diverſa parte plane alia eſt ramulorum diviſio, uti jam in diſſert. de arteriolis Lymphaticis breviter notavi; in inferiore parte inteſtini recti vaſorum ramificatio in vaſculari tunica etiam multo tortuoſior eſt, quam in cæteris inteſtinis, & quodammodo cum illis oeſophagi hæc vaſcula conveniunt, craſſiora autem multo ſunt, uti totum inteſtinum majus habet volumen quam oeſophagus: Inter has ergo partes reſpectu fabricæ magna eſt analogia, quamvis uſus earum primo intuitu plane contrarius ſit, ad utrumque tamen ferme eadem fabrica requiri videtur; transmittere enim modo, non nimis diu retinere, quod receperunt, debent, hoc non facile peragi poſſet, niſi via continuo eſſet lubrica liquido non facile deradendo, requirebantur ergo glandulæ tale liquidum ſecernentes, quæ in plicis longitudinalibus locatæ, ab arteriis tortuoſis lentius ſanguinem moventibus ſatiarentur; requirebatur in utriſque diſpoſitio ad ſe facile dilatandum, quæ per celluloſam copioſiorem, qua omnes inter ſe connectuntur tunicæ, producitur; requirebatur tandem in utriſque vis muſculoſa contractilis major, quam in cæteris inteſtinis, ad ſe exonerandum, de qua breviter nunc agendum reſtat in deſcriptione oeſophagi ſani fabricæ.

 §. VIII.

§. VIII.

Quæ muſcularis dicitur, tunicam conſtituunt duæ laminæ carneæ, inter quas cellulofa tenuis, multis vaſculis ſubtiliſſimis inſtructa ſeſe inſerit: Harum una ex arcuatis, altera ex longitudinalibus fibris muſcularibus conſtat; interiores arcuatæ, a cartilagine cricoidea exortæ, cingunt vaſcularem tunicam, uti longitudinales externam oeſophagi ſuperficiem efficiunt, oriuntur ex eadem cartilagine, obliquum primo ſervant decurſum, deinde recta deorſum decurrunt (*a*), uſque ad cardiam & ſic porro in ventriculum deſinunt.

Arcuatæ hæ fibræ ſeſe contrahendo tubi capacitatem in illo loco, ubi bolus hæret, imminuunt, longitudinales ſua contractione totum tubum breviorem reddunt, ſicque infra bolum etiam dilatant, atque hac ratione facillime, quod in oeſophagi parte ſuperiore hærebat, ſi vigeat vis muſcularis; ſi bolus non tam magnus ſit, ut ſua mole hanc deſtruat, fibra extra tonum extendendo; ſi nullum morboſum obſtaculum ſive organicum ſive ſpaſmodicum illud impediat, facile deprimitur.

Robuſtiores quoque hæ fibræ ſunt, quam in ventriculo & inteſtinis, excepto iterum recto, in cujus fabrica muſculari ea-

---

(*a*) Vid. MORG: *Epiſt.* II. & MORGENBRESSER *de Vomitu pag.* 7. & *ſeqq.* uti & Cl. BATIGNE *Tract. de digeſtione &c. pag.* 42.

eadem fervata eft proportio, quam in vafculari atque glandulofa notavimus tunicis.

§. IX.

Involvuntur omnes hæ defcriptæ oefophagum conftituentes tunicæ externa membrana, ex compacta & tenaciore cellulofa conftante, cujus ope connectitur cum corporibus vertebrarum, cum afpera arteria, cum aörta aliifque partibus juxta fe pofitis, & quæ in hac proprie locata funt, uti cum ductu thoracico vafis lymphaticis quam plurimis, cum glandulis dorfalibus, majoribus & minoribus lymphaticis, quæ ex fubtiliffimis vafculis tortuofe admodum inter fe junctis conftant, adeoque accedentibus caufis occafionalibus, obftructionibus, & indurationibus fæpius obnoxiæ funt; uti in pofterum videndi erit occafio.

FIGURARUM EXPLICATIO.

TAB. I. Repræſentat oeſophagum infantis recens nati, materie ceraceâ rubrâ in vaſa injectâ, vivi ſpeciem referens.

aaaa Superior ejus pars tunica intima adhuc tecta, in qua conſpiciuntur plicæ longitudinales atque villi & nonnullæ glandulæ protuberantes.

bbbb Pars inferior, detracta intima tunica, in qua villi magis conſpicui.

cc Intimæ tunicæ excoloris interior ſuperficies, in qua veſtigia arteriolarum exhalantium, uti totidem foraminula conſpiciuntur.

d Arteriola oeſophagea.

TAB. II. Repræſentat portiunculam minimam oculo armato innumera foraminula arteriarum exhalantium exhibens, & glandulæ muciparæ aperturam excretoriam, uti & nonnullas minores ejuſdem generis.

TAB. III. Ejuſdem particulæ, detracta intima tunica, natura ex hac figura ulterius apparet, rubri villi arteriolarum fines ſunt, dum albus color nerveam teneram & quodammodo collapſam ſignificat, dum inter hæc prominet ejuſdem glandulæ ductulus excretorius, exteriore ſua margine privatus.

TAB. IV. Tunicam glanduloſam monſtrat, in qua exſiſtentia glandularum macipararum, ex innumeris minoribus rotundis compoſitarum.

TAB. V. Tunicam Vaſcularem ejuſque ramificationem exhibet. Muſcularis ab aliis delineatæ figuram adjungere non opus erat.

CAPUT SECUNDUM.

GENERALIS DESCRIPTIO DYSPHAGIÆ.

§. I.

Impedita alimentorum per oesophagum depulsio est morbus plerumque fallax, in initio levis & vix morbi nomen mereri visus; in progressu vero, quoad effecta sese clarius manifestans, quoad causæ proximæ indolem vero, fere semper Medico dubium relinquens.

Est quasi hostis, qui per insidias atque latebras subdole irrepens, suas copias tacite & paulatim adauget, donec tantas acquisiverit vires, ut quibusvis auxiliis, sero nimis allatis, pertinaciter resistat, ac tandem obsessæ provinciæ plenariam inducat ruinam. Antequam enim ulla adsit mali perceptio, sæpe causa formalis jam adest, hac autem evoluta, ægri imminentis periculi dubia incipiunt sentire signa, ita tamen, ut nondum videant necessitatem ab Arte auxilium petendi; sensim tamen sensimque, cum increscente morbosa conditione incommodi incrementum percipiunt, donec cogantur urgentibus symptomatibus ad Medicum confugere, a quo tunc frustra sæpe auxilium implorant.

Fixa

Fixa jam adeſt mali ſedes, manifeſtum eſt obſtaculum, quousque admittuntur ſatis facile alimenta, ultra quod autem vel neutiquam, vel vix niſi cum adhibita vi & magnis moliminibus protruduntur! Quandoque juvat prona corporis inclinatio per aliquod tempus; quandoque ope tubi (*a*) in oeſophagum immiſſi ingerenda aſſumuntur, vel inſtrumento (*b*) huic operi adaptato propelluntur vel liquida poſſunt injici per ſiryngam, quam methodum Cl. de BEAUVE deſcripſit & cujus fabricam figuris illuſtravit (*c*); alias prudenter & tarde deglutiendo malum diu abſque magna moleſtia ferunt; alii, qualem novi Foeminam Lugduni Batavorum, quae jam ultra triginta quatuor annos coacta fuit ſolidos cibos in minima ſecare fruſtula & ſubtiliſſime maſticare, ac parvis ſimul doſibus deglutire, ne cum anxietatibus magnis rejiciantur, ſana tamen hac ſub diæta & hilaris vivit: dantur etiam, qui ſola fluidorum aſſumtione, difficulter quidem, tamen diu vitam protrahant, ſic ut in hiſce malum vitæ deſtinatum tempus nequaquam videatur minuere.

§. II.

(*a*) Vid. Cl. v. GEUNS *Act. Harlem. L. c. p.* 119 & 120.

(*b*) Vid. PHIL. SALMUTH. *Obſ. Med. Chir. Centur.* 3. *Obſ.* 16. *p.* 119. ubi poſt febrim diuturnam oeſophagi torpor remanſit, ita ut ope digiti vel bacilli cibos propellere coactus eſſet æger: vid. etiam ST. V. D. WIEL *Obſ. rar. T.* 2. *Obſ.* 27.

(*c*) Vid. Journal de Medicine *T.* 31. *p.* 431.

§. II.

Sæpissime tamen malum ita increscit, ut hæc omnia nihil juvent, sed plenaria capacitatis fiat abolitio, tunc oriuntur insignes anxietates ad quævis deglutiendi conamina, & frequenter cum murmure gargarizantis ingerenda multo commixta muco rejiciuntur. Hæc symptomata in nonnullis desinunt pro tempore, donec fame incitati iterum cibos assumere tentent, quando eadem renovatur tragoedia: in aliis etiam perdurant symptomata, quamvis ab actione tubus quiescat: patiuntur ægri anxietates intolerabiles; vexantur flatibus dolorificis, torquentur ingenti fame, & defatigantur incredibilis quandoque copiæ muci, nunc tenacioris nunc tenuioris, exscreatione, emaciatur corpus ad speciem sceleti usque, ita, ut præter osseam cratem cutimque parum remanere videatur; debilitatur quam maxime totum corpus; humores non reparantur a chylo, & vitæ actione acrimoniam contrahunt; oriuntur leipothymiæ, asphyxiæ, & tristissima vita, propter exhaustos nutritionis fontes, atrophica tandem morte terminatur.

Fit etiam aliquando, ut circa finem vitæ omnia quidem symptomata cessent, & quæ assumuntur satis facile, saltem multo minoribus cum molestiis descendant, absque tamen ut debitum ab assumtis accipiat corpus nutrimentum, uti nuperrime vidi in fœmina quadragenaria, quam molestissima dysphagia la-

borantem tractavi; nempe in hac plenariam capacitatis abolitionem, quæ ferme per octo hebdomadas duraverat, & muci tenacioris copiosam dejectionem; indurationi glandularum dorsalium atque illarum, quæ laryngi adjacent, & in ipsa etiam oesophagi fabrica obveniunt, attribuens (nam in initio mali ad varias distantias impedimenta perceperat,) per frictiones mercuriales secundnm methodum Cl: MUNGKLYI extus, & per succum inspissatum cicutæ cum syropo quodam forma linctus ab interioribus malum levare conatus sum, iisque sensim effeci, ut fluida juscula carnium, lac, item pultacea alimenta admitterentur, absque doloribus, absque vomitu aut regurgitatione mucosæ salivæ; nihilominus tamen emaciebatur ulterius, & postquam per tres hebdomadas debita alimenta & qualitate & quantitate, nec non remedia roborantia bene assumere potuisset, fatis cessit; in mali naturam inquirere superstitiosi propinqui prohibuerunt, forsitan alias hujus phoenomeni ratio clarius patuisset, nempe descensus facilioris alimentorum, utrum medicamenta resolventia in glandulis hanc mutationem effecerint, an ex mali indole & abolita sensilitate læsæ partis, mole sua descensus ingestorum permissus fuerit: Atrophiam lethalem ab acrimonia, quam omnes per inediam jam susceperant, humores derivo; forte etiam a deleta actione vasorum lacteorum, quæ per octo hebdomadas nihil acceperant; quoniam eundem morbi progressum ac finem in viro, qui post angustiam pylori defun-

functus eſt, obſervavi, de quâ ſequenti faſciculo ſcribere animus eſt, quare plura hoc loco non addam: fit tamen etiam, ut ægrotantes ab aſſumtis remediis, & debita diæta pro aliquo temporis ſpatio levamen ſymptomatum, cum vera habitus emendatione, experiantur, eaque denuo negligentes in priſtinum illabantur ſtatum, qui æque ac ſi nullum inſtituiſſent auxilium, tandem ad mortem miſeros ducit, dum exſtant etiam, licet pauciores obſervationes, quæ docent, juſtum remediis utendi tempus, non nimis malignam mali indolem, ægrorum patientiam & medici ſagacitatem concurrentia perfectam ſanationem effeciſſe, quas hic adducendo extra ordinem iremus; in curationis tractatione opportuniorem locum invenient.

§. III.

Deſcripta modo ratione morbus procedit, ſi oriatur a cauſis obſcuris, in initio levibus & fere imperceptibilibus, quæ lente increſcendo miſeras haſce ſequelas producunt. Quandoque vero cito & violenter hominem aggreditur, & in ſummum vitæ periculum ab initio jam ſtatim conjicit, ſi producatur a talibus cauſis, quæ ſubito & violenter agunt, quas etiam in poſterum recenſebimus.

§. IV.

Hæ cauſſæ etiam ſæpe tales ſunt, ut indolem ſuam jam ſtatim clarius monſtrent, & ſi occaſio apto loco arripitur, dextræ Medicinæ nonnunquam auſcultent, ac permittant, ut ægri plenarie in priſtinam ſanitatem reſtituantur, qualem ſanationem HOFFMANNUS poſt inflictum thoraci vulnus, per quod lac aſſumtum effluxit, peregiſſe legitur Act. Harl.: aliquando autem, licet tollantur, in parte, quam occupaverunt, talem relinquunt conditionem, ut miſeri in modo memoratum chronicum malum incidant homines, dum etiam exſtant exempla, ubi vitam inopinanter cum ſubitanea morte commutaverunt (*a*).

En, Benevole Lector, abſolutam Morbi Hiſtoriam, prout ſeſe diverſimode habeat, & in chronicis & in acutis caſibus: tranſeo ad cauſas.

CAPUT

(*a*) Vid. BOERHAVII deſcript. Morbi atroc.

CAPUT TERTIUM.

EXHIBENS CAUSAS IMPEDITÆ ALIMENTORUM DEPULSIONIS PROXIMAM ET REMOTAS.

§. I.

Proxima alimentorum impeditæ depulſionis cauſa conſiſtit in imminuta aut plane abolita oeſophagi capacitate, producta a diverſiſſimis conditionibus in ipſo vel extra illum hærentibus, quæ ſic diverſimode quidem ejus actionem lædunt, omnes tamen eundem ſimilemve præſtant effectum.

§. II.

Hæc eſt noſtri morbi cauſa, uti vocant, proxima, quæ ut producatur, neceſſe eſt, fiat nonnullarum conditionum concurſus, quarum aliæ corpus ita diſponunt, ut in hunc morbum quaſi pronum ruat, aliæ vero occaſionem ſubminiſtrant, qua fit, ut ſeminio in corpore latenti accedente debita ac conveniente conditione, qua in actum deducatur, hic enaſcatur morbus. Priores conditiones dicuntur Seminia, cauſæ proegumenæ vel prædiſponentes, poſteriores procatarticæ cauſæ

 ſive

ſive occaſionales: utriuſque generis præcipuas nunc conſiderabimus.

§. III.

Phalangem ducant cauſæ prædiſponentes, quas in duas dividere claſſes hic poterimus, in naturales nempe & non naturales.

Naturales voco illas conditiones, quæ licet in ſaniſſimi oeſophagi, ad peragendas hujus partis functiones requirantur, eum ad tales degenerationes prædiſponunt, quæ in aliis partibus tali vel ſimili fabricatione non gaudentibus, haud ita facile vel nequaquam locum habere poſſunt; atque tales prædiſpoſitiones non tantum in conflato ex ſuis partibus oeſophago occurrunt, ſed inveniendæ ſunt in quavis tunica ſeparatim conſiderata: ab interioribus iterum inchoando videamus breviter de ſingulis.

Plicæ illæ per longitudinem oeſophagi decurrentes, quarum ſtructuram atque utilitatem in §. II^da^ Capitis I^mi^ ni fallor demonſtravimus, ad impulſum humorum vel moram nimis diuturnam minorem multo reſiſtentiam faciunt, ſui extenſionem facilius permittunt, adeoque in ſuis cavitatibus celluloſis morboſas congeſtiones recondere, & ſic lente depulſionis impeditæ cauſis anſam magis præbere poſſunt, quam ſi glabra eſſet ſuperficies interior & undiquaque eadem vi impellentibus reſiſtens.

Intima tunica inſenſilis quidem eſt, & vaſis ſanguiferis proprie

prie destituta, adeoque per se inflammationibus, suppurationibus aut spasmis non corripitur, attamen variarum degenerationum fundamenta in se jam posita habet: nonne in epidermide cutis externæ, cui similis est, callositates, indurationes aliaque mala aliquando nascuntur; nonne & hæ eædem in hac ejusdem structuræ membranula produci possunt? derasionibus præterea obnoxia est per facilem suam adhæsionem, retinetur enim tantummodo per sui continuationem quam maxime extenuatam, quâ se in ductulos glandularum excretorios immittit, & intimam arteriolarum exilissimarum, quæ exhalant, tunicam quoque constituit, juxta Cl. BOHNII Theoriam.

Porosa etiam ejus fabrica illam obstructionibus prædispositam reddit; facile enim poruli vel foraminula vel per mucum nimis tenacem, vel per nimis fortiter adstringentium abusum præternaturaliter clauduntur, sicque humores a tergo inpulsos non transmittendo stagnationes in vasis & ductibus excretoriis faciunt, continentia expandit, contentis acrimoniam conciliat, sicque principiis morbi describendi uberrimus fons existere potest.

Huic subjecta nervea sensilitatis capax, quâ & arteriolas exhalantes ad evaporandam lympham, & ductulos excretorios ad eructandum, & glandulas ipsas ad secernendum liquorem mucosum, & vascularem tunicam ad circumducendum sanguinem, & muscularem ad moderata vi contractili depellendum, quod in cavo suo hæret, debet invitare; excessu vel defectu hujus

jus virtutis ſæpius peccare poteſt, ſicque in arteriolis exhalantibus, in ductulis excretoriis obſtructionum diatheſin producere, in glandulis intumeſcentiæ, indurationis & degenerationis carcinomatoſæ, in arteriis inflammationum, in muſcularibus fibris proclivitatem ad nimis violentos contractiones, vel etiam ad lethales harum partium reſolutiones.

Glandularis autem tunicæ fabrica præ omnibus deſcribendi morbi fontibus favet; in quibusvis enim corporis noſtri partibus glanduloſis non tantum hodierni medici frequentius, quam in aliis diſpoſitionem ad intumeſcentias morboſas, indurationes, tubercula, ſcirrhoſitates & carcinomatoſas degenerationes experientia confirmatam obſervant, ſed veneranda antiquitas certe ideo ſedem horum malorum jam ſtatuit in utero, faucibus, ore & mammis (*a*) in liene, hepate aliiſque partibus glanduloſis (*b*); in auribus, naribus & mammis CELSUS eas deſcribit (*c*), dum GALENUS (*d*) partes hiſce malis recipiendis aptas præ cerebro atque pulmonibus pronunciavit in genere Glandulas, Lienem, Hepar, Uterum, & muſculorum tendines, juxta quos multus viſcidus humor ſecernitur, a quo GALENUS cauſam ſcirrhi de-

(*a*) Vid. HIPOCR. de morb. mulierum *L.* II.
(*b*) Vid. HIPOCR. *Lib. de affect. aphor.* 42. *Sect.* 6.
(*c*) *Lib.* II. *Cap.* 28.
(*d*) Vid. GALEN. *Lib.* IV. *de præcognoſc. expulſu*, & *Cap.* 4. *Lib.* II. *ad glaucum.*

deducit (*a*) his addit AETIUS collum, humeros, alas & inguina (*b*): nonne ergo & hæc membranula, in quâ innumera quantitas glandularum ſubtiliſſimarum humorem viſcidum ſecernentium, ex tortuoſis vaſculis atque parvis folliculis compoſitarum, vel per obſtructiones in ſuis ductulis excretoriis, vel per inflammationes vaſculorum, vel per acrimoniam humorum, quos ſecernunt, facilius intumeſcentiis, indurationibus, degenerationibus ab una ad vicinam tranſeuntibus corripi poteſt, quam quædam alia pars aliter conſtructa?

Neque omittenda videtur tunicæ vaſcularis fabrica; quo enim tortuoſiores ſunt vaſorum ramificationes, eo lentius in his feruntur & reducuntur humores, adeoque in variis, quas faciunt anſis & anfractibus, ſi in humoribus ſpiſſitudo phlogiſtica peccat, ſtagnationes poſſunt fieri facilius quam in vaſis, quæ magis recta ramificatione gaudent, adeoque cito inde in his obſtructiones & inflammationes naſcuntur, quæ ſi adſint, non facile eamdem ob cauſam reſolvuntur, ſed terminum hujus ſupermanent, atque ſubpurationibus aliiſque inde naſcentibus vel in ſe ipſa vel in vicinis, degenerationibus expoſitum oeſophagum faciunt, ubi tamen hæc ſtructura in hac parte quam maxime requirebatur, uti ſupra jam demonſtratum eſt (*c*).

Poſt-

(*a*) Vid. Libr. de tumoribus.
(*b*) Vid. Tetrabib. *Cap.* 44.
(*c*) Vid. *Cap.* I. §. 7.

Poſtquam blandiſſimum bolum deglutimus, requiritur, ad leviſſimum ſtimulum fibrarum ſpiralium atque longitudinalium contractio, ut depellatur, quod ſua mole non cadere poteſt per collapſum tubum, adeoque irritabilitate magna præditas eſſe illas oportebat (*a*) ſed eadem virtus facit, ut quandoque ex leviſſimis cauſis violenter oeſophagus contrahatur (*b*), & ſæpius diriſſimæ inde anxietates ex diſſitis etiam cauſis naſcuntur; dum altera, qua præditæ ſunt, virtus, nempe permittendi ſui ad gradum notabilem expanſionem ſive dilatationem, aliquando lethalis reſolutionis fons exſiſtere poteſt (*c*).

Quæ has tandem omnes complectitur celluloſa, glandulis ſcatens quam plurimis, non tantummodo minoribus illis, quæ per omnem mediaſtini celluloſam & etiam præcipue ſub ſterno cernuntur, ſed etiam majoribus veſalianis, ex ſua ſtructura ad talia vitia prædiſpoſita quoque eſt, ut morbi noſtri cauſa inde produci queat: ſi jam in ſummam colligamus, quibuſnam malis, per ſuam naturalem ſtructuram, quævis pars ad oeſophagi fabricam concurrens expoſita ſit, non opus erit, ut multis exponam atque demonſtrem, quomodo ſibi invicem junctæ atque in ſe invicem agentes hæ partes ad varios morboſos affe-

---

(*a*) HALLER de partibus Cris. Hi. ſenſilibus & irritabilibus *pag.* 144.

(*b*) Vid. COOCK oper: chir: *Tom.* II. *pag.* 114.

(*c*) DU VERNEY oeuvres anatomique *T.* II. *p.* 170.

fectus procliviores fiant: ergo quisquis jam fabricam hujus partis intelligit simulque functionem ejus considerat, non facile, illa, quæ dixi a vero aberrare pronunciabit, sed videbit periculum non parvum semper adesse, quo mortem minantia vel producentia vitia ab accedentibus occasionalibus causis, (quas in ipsorum ægrotantium culpa sæpius experimur) præstari possunt.

Si quis autem dubitet, inspiciat adjunctas figuras, æque morbosarum ac sanarum partium, si enim ultima inspiciatur tabula, apparet non modo nerveam æque degenerare atque internam abradi posse (*a*) sed glandulosam non minus lethalibus degenerationibus posse corripi (*b*), dum vascularen inflammationibus posse corripi jam ample in dissertatione aditiali (*c*), ante aliquot annos ostendit doctissimus N. HONKOOP & §. 6. hujus Capitis a nobis ulterius demonstratur, & muscularis morbose affectæ symptomata quotidie ferme observamus; omnium simul degeneratarum exemplum in Tab. 6. (*d*) & 7ª (*e*) habemus; atque tandem adjacentis cellulosæ & glandularum ejus aberrationes ad oesophagi angustiam multum facientes in quaque

(*a*) Vid. Tab. VII. *θθθθ*.
(*b*) Tab. VII. *αααα*. & *ββββ*.
(*c*) De inflammat. oesophagi Lugd. Batav. anno 1779.
(*d*) Fig. 1 *ii*.
(*e*) *ηη*.

que obfervatione inveniuntur (*a*) quæ abfque hac fabrica non ita locum habere poffunt.

Hæ prædifpofitiones non parum augentur, fi in C[re] locum fimul habent illæ conditiones, quæ a nobis tanquam caufæ prædifponentes non naturales, vel ex ipfius oefophagi fabrica non profluentes, confiderantur, quarum notabiliores funt fequentes.

1°. Morbofa fibrarum rigiditas, cujus fontes a Divo BOERHAVIO (*b*) ejufque clariffimo Commentatore, tam ample funt expliciti, ut ulteriore examine neutiquam indigeant. Hac fit, ut nimis lente circulentur humores per fua vafa, ftagnent in receptaculis, acrimoniam induant, ficque variis incommodis anfam fubpeditent: & fi in fibris ipfius oefophagi adfit hæc caufa, fequuntur facile harum torpor, abolitio contractilitatis, ac indiffolubilis fere tandem induratio.

2°. Contrarium folidorum vitium non raro fimilibus prorfus effectibus anfam præbet.

3°. Ætas fenilis; quatenus communem fontem conftituit tardioris circulationis, obftructionum varii generis, folidorum rigiditatis morbofæ, ac refolutionum fibrarum mufcularium, unde modo memorata mala proflnunt.

4°.

(*a*) Vid. Tab. 6. Fig. 1 *d*. Fig. 2 *g*. Fig. 4 *d*. & Fig. 5 *d*. & *f*.
(*b*) Vid. Aphor. *Cap. de Fibr. Rigid.*

4°. Sexum utrumque huic morbo recipiendo aptum ſtatuimus. Clariſſimus MAUCHART (*a*) putat, ſexum maſculinum præ foeminino diſpoſitionem ad hunc morbum alere, dum alii Auctores contrariam opinionem amplectuntur. Utrumque ſexum morbo hoc affligi, annales medici comprobant; utrum autem maſculinus præ ſexu ſequiore in hunc morbum magis proclivis ſit, aliis dijudicandum relinquo, quum res ardua nimis mihi ſit accuratam obſervationum computationem inire. Ego autem puto, in ſexu virili prævalere nonnullas conditiones, quibus proniores ſint in hunc morbum a cauſis ex nimia rigiditate fibrarum oriundis, dum iterum in foeminino etiam frequenter oriatur ab aliis conditionibus, quæ in ſexum virilem non ita incidere poſſunt. Et in hac multo frequentius mihi occurrit, quam in virili.

5°. Inter has prædiſponentes cauſſas quam maxime etiam merentur recenſeri valida & ingrata animi pathemata, quæ viam aperiunt ſpaſmodicis quarumcumque partium affectionibus, quibus in conſenſum rapitur oeſophagus, circulatio turbatur, humores corrumpuntur, ſtagnant, acres fiunt, & alicubi deponuntur: inprimis autem huc faciunt pathemata triſtiora, ut moeror diuturnus, ira atque livor (*b*).

6°.

(*a*) In Diſſert. egregia de *Struma Oeſophagi* in Tom. II. Diſſert. Chir. Cl. HALLERI.

(*b*) Vid. A. DE HAEN *de Deglutitione vel deglutitorum in cavum ventriculi deſcenſu impeditis* p. 25.

6°. Potuum aquoforum ut & fpirituoforum abufus : hi enim excoriationibus, inflammationibus, indurationibus anfam præbent, illi laxitatem morbofam fibris inducunt, dum uterque variis dyfcrafiis humorum viam aperit.

7°. Inter hafce caufas reponi debent variæ Cacochymiæ, quæ ad vaforum glandularumque obftructiones producendas non parum fymbolum conferunt: inprimis huc faciunt cacochymia fcrophulofa, rachitica, venerea; revocanda huc etiam acrimonia cancrofa, five adfit ex hæreditaria labe, five ex infectione contrahatur, five ex caufis occafionalibus proveniat: omnes enim hæ æque ad oefophagum, ejufque adjacentes partes glandulofas, quam ad alia deponi poffunt organa.

8°. Inter caufas, quæ recipiendo hunc morbum corpus adaptant, memorari debent lenta humorum fpiffitudo, quæ ab abundante in fanguine materia terreftri & folidorum torpore producitur, unde fere in omnibus fenum cadaveribns, tam vaforum, quam variarum partium mufculofarum, tendinofarum ac membranofarum, offificationes aliæve indurationes inveniuntur.

§. IV.

Hæ funt Cauffæ noftri morbi fic dictæ proëgumenæ, nunc illas, quæ Procatarcticæ vocantur, enumerare aggrediemur: inter quas

1°. Illa confiderabimus quæ forinfecus admota nocent.

2°. Evacuationes fubpreffas.

3°. Oefophagi morbos prægreffos vel præfentes, quo inprimis pertinent inflammatio, fuppuratio, abfceffus, induratio, excoriatio, fpafmus diuturnus, paralyfis, expanfio facciformis, concretio, degeneratio quæcumque atque ruptura.

4°. Adjacentium partium variarum variæ affectiones, v. g. Pulmonum aliorumque organorum pectoris, vertebrarum, Aörtæ, Diaphragmatis, Hepatis (*a*), Glandularum dorfalium &c.; quæ quovis modo agentes oefophagi actionem turbant, fequentur.

§. V.

Inter illa, quæ forinfecus admota nocent, imprimis referri debet abufus nonnullarum rerum non naturalium; præcipue huc pertinent Cibi & Potus acriores, aromatici, ut & glaciales, (*b*) qui deradendo mucum, rodendo internam tunicam, atque conftringendo fibras mufculares, adeo poffunt anguftare tubi capacitatem, ut identidem major deglutiendi oriatur difficultas; idem hoc a nimis fervide deglutitis exfpectari debet. Inprimis autem noftro malo producendo multum confer-

(*a*) Vid. *Obf.* 2. *T.* 6. *Fig.* 4. & *T.* 7.

(*b*) Quos raucitatem infanabilem produxiffe fcribit ST. V. D. WIEL *l. c. T.* I. *Obf.* 27.

ferre obſervantur Potus Spirituoſi acidi, auſteri, qui non ſolum memorata modo acritate mala in oeſophago producunt, ſed etiam fluida ita corrumpunt, ut præcipue ſyſtema glanduloſum hinc patiatur: fere ſemper enim in cadaveribus illorum bibaculorum, qui ſpiritu Juniperi vel Vini ſuam vitam ſuſtentari poſſe credunt, & his etiam fere ſolis aluntur, ventriculum valde contractum, naturali multo minore capacitate præditum; & glandulas meſenterii obſtructas atque induratas invenimus: eadem ergo ratione oeſophagus conſtringi, & glandulæ huic adjacentes poſſunt indurari, ut harum potentiarum nocentium concurſu noſter Morbus producatur: quemadmodum præ ceteris docuit exemplum iſtud Aurigæ Benthemenſis infra adductum. Inter rerum non naturalium abuſus referri hic debet nimia Tabaci fumigatio, quæ ſui amatoribus (quidquid Noſtratium multi ſibi & aliis obtrudere cupiant) certiſſime plura damna, quam emolumenta, profert: in illis enim, qui ſalivam, ob irritationem glandularum hanc ſecernentium, copioſius in os affluentem, continuo excernunt, privatur Corpus humore ad maſticationem, deglutitionem & concoctionem valde neceſſario: in iis autem, qui ſalivam hanc fumo mixtam deglutiunt, acritate, qua inepta fit ad munera ſua peragenda, variis modis nocet, rodit tunicas, obturat vaſorum exhalantium oſcula, exſiccat partes internas, & in inſuetis ſyſtema nervoſum ita turbat, ut veneni effecta ab hiſce deliciis prima

vi-

vice guſtatis experiantur, quæ & in aſſuetis non plane ceſſant, licet mitiora. Præterea accedit huc, quod, dum de ſiccitate oris & excoriatione faucium conqueruntur, convivæ remedium quærant in proverbio *ore vinoſo bene fumatur:* repetitur hoc ſæpius, utuntur ſæpe vino crudo, inprimis rubro auſtero, ſtrenue ſua pocula hauriunt, ut abluantur partes exſiccatæ & aridæ fauces reficiantur, dum ſuo damno ſæpius poſtea experiantur, quod hoc „ *in accenſis ignibus ignis erat.*

Porro hic recenſeri debent Corpora heterogenea deglutita, mole vel acritate nociva, quorum ergo nonnulla hærent in oeſophago, & obturant canalem, ita, ut cita inſequatur ſuffocatio, niſi apta inſtituta medendi ratione, ſive per remedia, ſive per inſtrumenta chirurgiea educatur hoſtis: alia apicibus ſuis ſeſe tunicis inſigunt, eaſque violenter atterunt, lædunt, pungunt, rodunt, inflammant, imo & perforant nonnumquam, inprimis ſi accedat fortior fibrarum ad ſenſum moleſti & præternaturalis ſtimuli contractio: qualis etiam perſæpe metuendus a violentis remediis emeticis propinatis, aut ab applicatione inſtrumentorum propellentium, in quorum itaque uſu ſumma requiritur prudentia, & plerumque palliando & exſpectando certius tutiuſque medela affertur, quam nimia ſedulitate multa agitando, trudendo, propellendo.

---

§. VI.

Evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ ad noſtrum Morbum generandum multum faciunt, inprimis Menſium, Hæmorrhoidumque: hinc enim ſæpe fiunt congeſtiones & ſtagnationes humorum particulares; quod dum ad alias partes fieri quotidiana obſervatio docet, non eſt, cur negemus fieri ad Gulam.

Perſpirabilis ſi ſupprimatur materies, fieri quoque poteſt, ut oriantur obſtructiones in glandulis ipſius oeſophagi vel ei adjacentibus, ipſiſve ejus parietibus & organis vicinis, quæ aliquando ſunt pertinaces, & in ipſas indurationes indiſſolubiles abeunt (*a*). Anno 1780. die 12. Aprilis vidi Foeminam Friſiacam triginta novem annorum, quæ per totam vitam proſpera uſa erat valetudine, (ſed quinque ſanis infantibus gaudens, filiam ſuam natu majorem ſexdecim annorum, ex ſuppresſione menſium, deglutitione impedita laborantem, anno præterito e vivis raptam retulit,) ipſa elapſo tunc dimidio anno magnum ſubierat frigus, poſt quod ſentiebat difficilem alimentorum in ventriculum deſcenſum: reſiſtentia, quæ iter ingerendorum retardabat, erat prope cardiam, & ſenſim major evadebat ac moleſtior. A Chirurgo quodam auxilium petiit, qui mali cau-

ſam

(*a*) Conf. SWIETEN Comment. *T.* II. *pag.* 647.

ſam derivabat a muco tenaci obſidente ventriculi orificium, & ideo præſcripſit vomitorium, poſt cujus aſſumtionem juſſit, ut ægrota ingereret ingentem quantiatem aquæ tepidæ: conſilium hoc in uſum fuit vocatum, ſed ſine optato eventu; cum nauſea enim oriebantur inſignes anxietates circa præcordia, & parum ingeſtæ aquæ evacuari potuit, licet ventriculus ſæpius convelleretur. Ab hocce Viro ejuſque medicamentis ergo nullum ſolamen accipiens pro tempore ſeſe fato ſuo tradidit: increſcentibus vero moleſtiis in aſſumtione alimentorum, uſa fuit conſilio vel Vetulæ vel Medicaſtri (perinde eſt utrum hominum genus fuerit, utrumque enim Medecinæ peſtis eſt:) hoc conſilium conſiſtebat in eo, ut aliquoties de die aſſumeret doſin certam Spiritus Juniperi amari: Quod remedium, dicam potius venennm in hoc caſu, ultra quatuordecim dies continuavit, maximo cum ſuo detrimento, nam inde malum ita increvit, ut jam in miſerrimam redacta eſſet conditionem, ſic ut omnibus ſolidis iter jam penitus denegaretur, imo lac dulce vel juſculum tenue ſæpius hæreret ad obſtaculum, & cum muco tenaci redire cogeretur, aliquando tamen ſine multa moleſtia tranſiret in ventriculum: habitus Corporis jam valde macilentus erat, vexabatur ſubinde anxietatibus circa pectus & doloribus ad cardiam, etiamſi nulla conamina perficeret ad ingerendum cibum: menſes ipſi regulariter, ſed parce, fluebant, alvus erat clauſa, pulſus bonus, reſpiratio ſatis bene etiam peragebatur.

G 2 Men-

Menſe Aprili ad incitas fere redacta conſilium tandem rationalis cujusdam Medici ſumſit, qui cauſam mali in induratione cardiæ ponens, poſt infauſtam factam prognoſin, præſcripſit diætam tenuem, eupeptam & euchymam, cautelam a refrigerio, & medicamenta reſolventia nonnulla, ſed, uti facile erat prævidere, nimis ſero, quum paucos poſt dies patrios lares repetens, apud ſuos brevi mortua ſit. Patet in hoc caſu, probabiliter refrigerium nimium fuiſſe cauſam perſpirationis ſuppresſæ atque repulſionis & ſtagnationis humorum acrium ad haſce partes; & videtur quoque veroſimile, ſi hæc Ægrota in initio mali ad idoneum confugiſſet Medicum, quod forſan in ſanitatem potuiſſet reſtitui; dum, poſt imprudentem uſum vomitorii, atque nocivam aſſumptionem ſpiritus Juniperi ad peſſimum ſtatum jam delata fuerit, priusquam juſtam medelam quæſiverit aut experta fuerit: quod frequentiſſime fieri in hoc morbo, merito querentes audimus Practicos, ad quos dum ſero nimis accedunt ægri plerumque etiam

Sero Medecina paratur!

§. VII.

Oeſophagi Inflammationem anguſtiam cavi ejus producere posſe certum eſt, adſunt enim tenſio & tumor partium præternaturalis, præterea dolor immanis blandiſſimorum etiam aſſumti-

tionem non fert, ad quævis deglutiendi conamina auctus, ita ut ad ipsius salivæ, etiam vel blandissimi olei olivarum adtactum spasmi exoriantur dolorifici admodum. Si in abscessum abeat inflammatio, donec rumpatur, hujus mole sæpe penitus clauditur, sic Clar. VAN DOEVEREN mecum communicavit, se Groningæ vidisse dysphagiam lethalem a collectione puris inter spinæ vertebrarum corpora atque inferiorem pharyngis superioremque oesophagi partem: non raro autem fit, ut ea in indurationem terminetur, unde fibrarum inertia atque inepti-tudo ad propellendum id, quod debet ingeri, incrassatio parietum, concretio parietum inter se vel cum adjacentibus partibus, quibus fieri potest, ut (vita sub multis miseriis per aliquod tempus protracta) tota substantia tunicarum oesophagi degeneret, exedatur, imo & perforetur.

Licet morbus ille rarius occurrat, ejusque pertractatio forte ideo ab omnibus fere Systematicis sit omissa, vel ubi de angina inflammatoria agunt, in transitu de eo mentionem faciunt (a), inflammationem tamen veram in Oesophago oriri posse, talesque post se relinquere sequelas, non tantum a priori ex magno nervorum vasorumque numero, quibus instructa hæc pars est, & ex violentissimis ac frequentibus occasionalibus, quibus ex-

(a) Vid. SWIETEN Commentariorum ad BOERH. aphorismos *T. II. pag. 662.*

expofita eft, caufis evincitur; fed etiam experientia omne de hujus rei veritate dubium tollit, quum a GALENO non modo jam defcripta fit (*a*) aliique ex profeffo de eo egerint, (*b*) fed & fide digniffimo Præceptoris VAN DOEVEREN teftimonio mihi conftet, quater fibi hanc inflammationem occurriffe, fcilicet bis Groningæ femel in Viro & femel in Foemina, & toties Lugduni Batavorum; in Foemina gravida hoc morbo correpta, itidemque in alia: quas copiofa V: S. & aliis, quæ requirebantur, antiphlogifticis omnes in fanitatem reftituit, & ita quidem ut ea, quæ gravida erat, apto partus tempore fanum pepererit infantem. Memini, me ipfum ante aliquot annos, poftquam Fratri cariffimo fcarlatina febre maligna exftincto, perpetuo adftiteram, inflammatione in faucibus loco magis inferiora verfus, quam qui in angina inflammatoria occupatur correptum effe, comitantibus dolore acerrimo, febre continua acuta cum delirio fatis valido, dum plenarie eram privatus potentia nixum deglutitionis edendi: abibat malum hoc in fuppurationem, ita, ut abfceffus formatus doloris quidem ac febris afferret remiffionem, fed omnium æque potulentorum ac efculentorum tranfitum impediret: rupto autem eo, & eructata magna puris quantitate, fenfim fenfimque priftinum oefophagus recupe-

(*a*) *Lib.* V. de locis affectis *pag.* 691 & 692.

(*b*) Vid. N. HONKOOP Differt. de infl. oefophagi.

peravit vigorem, quo & adhucdum lætus gaudeo (*a*). Non autem ſemper ita felicibus nobis eſſe licet, talis enim abſceſſus ſæpe aliam ſibi quærit viam, ac perforat tunicas oeſophagi, ita ut exteriora verſus rumpatur; vel, quod frequentius fit, abit in indurationes indiſſolubiles, ſcirrhoſas, ipſamve gangrænam: & licet talis abſceſſus feliciter rumpatur, atque materies purulenta evacuetur per os, fieri tamen poteſt, ut aperturæ factæ remaneant, aut cicatrices majores formentur, quæ viam quodammodo primo anguſtant, deinde autem perpetua aſſumtorum irritatione increſcant, & plenariam tandem producant obturationem canalis ad vitam adeo neceſſarii. Ubi a ſola ſenſilitate nimia poſt hunc morbum remanente tranſitus alimentorum negari quoque aliquando obſervatum eſt (*b*).

Excoriationes internæ tunicæ vel a decidente cruſta aphtoſa (*c*) (quod ſæpius fit,) vel à defectu muci viam lubricantis, vel ab ingeſtis nimia mole, ſcabritie, fervore, roſione, auſteritate aut acritate peccantibus productæ, ſimilia poſſunt præſtare effecta.

Spaſmum diuturnum depulſionem ciborum impoſſibilem reddere poſſe, nemo dubitabit, qui modo obſervavit, quam diffi-

(*a*) Conf. Obſ. quæ invenitur ſimilis apud ST. V. D. WIEL *Obſ.* 25. *Tom.* I.
(*b*) Vid. Cl. GOOCH Oper. Chir. *T.* 2. *p.* 108.
(*c*) Vid. Ibid.

ficile fit, foeminis hyftericis in paroxyfmo remedia exhibere, propter validam, quæ tunc locum habet, oefophagi conftrictionem, tam vehementem, ut longo etiam poft paroxyfmum tempore de fenfu globi in faucibus hærentis conquerantur: Affumtio liquidorum in Hydrophobia correptis videtur propter eamdem inprimis caufam nullatenus admitti (*a*). Exftant etiam obfervationes fpafmorum oefophagi diuturnorum, quæ viam alimentis verfus ventriculum præcludunt (*b*). Clariffimus Præceptor N. G. OOSTERDYK in Prælectionibus Practicis de morbis oefophagi agens nobifcum communicavit, fe vidiffe talem oefophagi fpafmum duodecim dies durantem fine aliqua remiffione. Novi virginem, quæ aliquando abfque prægreffa manifefta caufa nihil, aliquando fumma cum prudentia blandiora & modico calore prædita, tranfmittere per oefophagum poteft, aliquando autem in comedendis acrioribus alimentis etiamque calidioribus aromaticis nullam difficultatem fentit.

Contrarium huic recenfendum vitium, fcilicet Atoniam & paralyfin fibrarum mufcularium oefophagi tunicam conftituentium, Veteres jam defcripferunt: Clariffimus J. FREIND in Hi-

(*a*) Vid. H. RIDLEY *Obf. p.* 117.

(*b*) Vid. *Medical Effays and Obf. of Edinburg T.* 1. *Obf.* 28. ZIMMERMANN in Actis Helvet. *Tom.* 2. *p.* 94. & alibi: conf. Cl. SAUVAGESII Dyfphagiæ Spec. 1, 2 & 9. in Nofol. Meth. *Tom.* 2. *p.* 78, 79, 81.

Hiſtoria Medicinæ (*a*) ſcripſit, illa, quæ ab Arabe AVENZOAR dicto dicuntur de Gulæ relaxatione aut intercluſione, ex qua ſequitur alimenta devorandi impotentia, nova eſſe, neque a Græcis aut Arabibus ullo modo explicita: quod tamen falſum eſſe, patet ex tractatu Clariſſimi VAN GEUNS (*b*), qui perhibuit hocce vitium a GALENO jam obſervatum fuiſſe. Hoc autem vitium diverſimode noſtram cauſam proximam producere poteſt, id eſt vel collapſu parietum ad ſe invicem, unde aliquando fit, ut ſolida pondere ſuo obſtaculum hoc ſuperent atque propria gravitate deſcendant, ubi fluida, quæ leviora ſunt, redire coguntur, quales Obſervationes a FABRICIO HILDANO, BALLONIO, aliiſque captæ apud SCHURIGHIUM (*c*) ſatis copioſe recenſentur: quibuſcum conferri merentur, quæ de angina convulſiva agens, SWIETENIUS memorat (*d*), vel & alio modo noſtrum morbum producere poteſt; exſtat nimirum Obſervatio oeſophagi, cujus inferior pars non tantum erat collapſa, ſed etiam a ſuperiore parte in ſaccum alimenta retinentem relaxata ita comprimebatur, ut tota via eſſet intercepta atque occluſa (*e*).

Re-

(*a*) Vid. Operum *T.* 3. *p.* 249.
(*b*) Act. Harlem. *Tom.* XI. *p.* 27.
(*c*) In Chylologia Hiſt. Medica *Cap.* 5. §. 10 & 11. *p.* 250. & *ſeqq.*
(*d*) Vid. Comment. *Tom.* II. *pag.* 702.
(*e*) Vid. *Medical Eſſays and Obſerv.* vol. 3. §. 10. cf. VAN GEUNS *p.* 90.

Recensendæ quoque hic sunt quæcumque ipsius substantiæ oesophagi degenerationes scirrhosæ, carcinomatosæ aliæque: talis oesophagi morbosi inspectionem mihi benevole concessit æstumatissimus Præceptor E. SANDIFORT: nimirum erat gula ex hominis adulti, impotentia deglutiendi defuncti, cadavere dissecta; in vivente, quod deglutiebat, hæsit circa ventriculum & redibat in os cum spuma: in præparato oesophago & per longitudinem secto apparebant parietes solito crassiores atque indurati, & tota interna substantia videbatur degenerata in tumorem oblongum scirrhosum inæquabilem, tubi capacitatem penitus delentem. Quæ observatio similitudinem quandam habet cum observatione nostra ultima, in eo tamen oesophago, nisi memoria fallor, degeneratio non tam insignis erat, neque tam complicata obstacula ac in nostra (*a*). Imo exstat observatio oesophagi adeo degenerati, ut sectione cadaveris, impotentia alimenta etiam liquida versus ventriculum depellendi defuncti, inveniretur tota ipsius substantia mutata in massam tenacem viscidam atque putridam coloris fusci (*b*).

Non incongruum fore duco huc raram observationem conferre, à Doct. GRASHUIS cum Academia Cæsarea N. C. (*c*) com-

(*a*) Vid. Obs. ult. Tab. 7.

(*b*) Vid. *the Monthley Revieuw* for November 1779. seu *Vol.* LXI. *p.* 391.

(*c*) Act. Phys. Med. *Tom.* IV. *Obs.* 73.

communicatam, quæ mirabilem quoque a ſtatu naturali aberrationem exhibet. De virgine agit, quæ, poſtquam per ſeptem menſes diriſſima impeditæ alimentorum Depulſionis ſymptomata paſſa fuerat, tandem placide exſpiravit, in cujus oeſophago variæ & tam ſingulares occurrebant degenerationes, ut operæ pretium ſit anatomiam ejus ex Actis deſumtam hic adjungere. „ Integumentis diſſectis & elevato ſterno, pulmones omnino naturales conſpiciebantur, niſi quod hinc & inde maculæ purpureæ apparerent, quaſi ſanguine congrumato infartæ: nuſquam pleuræ adhærebant, vel ullo modo erant concretæ; cor ſanum erat & naturali ſimile; in medio pectore aliqua quidem induratio ſentiebatur, ad latus & dorſum tendens, juxta corpora vertebrarum, nondum autem peculiare corpus intumeſcens; ſeparabatur pulmo ſiniſter paulo magis ab ejus vaſis & partibus contiguis ſimul cum aſpera arteria, ut oeſophagus nudus oculo adpareret: hactenus, autem nihil obſervari poterat, niſi quod Oeſophagus circa medietatem pectoris præternaturaliter amplificatus videbatur, & quo ad tactum durus, maxime verſus latus ſiniſtrum. Ipſo tandem parva inciſione aperto oeſophago, ſtatim exiit ſanguis coagulatus, huncque remotum, ſtatim ſanguinolenta & ichoroſa materies excipiebat, magna in copia; Oeſophagi membranæ nunc inſtar digiti minoris craſſæ videbantur. Digitus intra factum foramen immiſſus offendebat durum quoddam & carnoſum tuberculum,

poſteriori parti oeſophagi non ſolum adnexum, ſed etiam firmiter affixum corporibus vertebrarum, a cujus latere inferius alterum ſimile aderat: digito circumquaque converſo a dextro oeſophagi latere magna quaſi ſpelunca inveniebatur, ovi anſerini magnitudinis, quo loco tunicæ valde tenues erant, inferius naturalis erat magnitudinis & capacitatis; idem autem magis diſſectus ad longitudinem quatuor circiter pollicum ejus erat craſſitiei, ut antea dictus, durus, inſuper & calloſus fere albicantis coloris; hæc durities oblique juxta corpora vertebrarum ad earumdem partem poſticam pergebat: inter oeſophagum & vertebras porro hærebant carunculæ multæ, quæ ſanguinem fundebant, quando ſeparabatur oeſophagus a vertebris; qui ibidem loci firmiter ſpinæ adhærebat."

Nec inutile erit, quoniam in antea memoratis Commentationibus Actorum Harlemenſium adduci nondum potuit, adduxiſſe Obſervationem de Viro fame conſumto ab oſſea oeſophagi anguſtia, quam poſtea deſcripſit Cl. J. D. METZGER (*a*). Laborabat Auriga Celſiſſ. Comitis Benthem. ex abuſu ſpirituoſorum auguſtatione oeſophagi, ita ut ſolidi cibi deſcendere non poſſent; pergebat adhuc in hiſce utendis contra conſilium ſui Medici, donec lecto affixus emaciatus ac debi-

(*a*) Vid. ejus *Adverſar. Med. Vol.* I. *p.* 175. Traj. ad Moſam. 1774. ed.

bilitatus moreretur. Examine cadaveris anatomico apparebat oesophagi tractus, qui asperæ arteriæ subjacet, angustatus, contractus, & in osseam substantiam induratus; per longitudinem etiam disscissus nihil naturalis fabricæ monstrabat, sed tunicæ ita erant degeneratæ, ut massam irregularem organicam exhiberent.

Tandem inter causas in ipso oesophago hærentes memorari debent Concretiones parietum cum adjacentibus partibus eorumque Rupturæ, quas in eodem subjecto simul adfuisse, & lethalem Dysphagiam produxisse, docuit sectio cadaveris, cujus descriptionem ad calcem harum Observationum addere lubet, unde ut major capi possit utilitas, necessarium duxi præmittere morbi Historiam, qualem diligenter dum ægrotaret Foemina, quæ morbum illum habebat, notandi habui occasionem.

Ceterum, qui dictarum similiumve Causarum ampliorem expositionem desiderabit, adire poterit uberrimos illarum fontes, quos aperuerunt Viri Clarissimi jam nominati ANT. DE HAEN, M. V. GEUNS, P. NAHUIS, quibus addi possunt HALLERUS (a), TRILLERUS (b) aliique.

§. VIII.

(a) *Elem. Physiol. Tom.* VI. *p.* 100, 101.

(b) In Diss. singul. *de Fame leth. ex Callosa Oris Ventric. angustia*, vid. Opusc. Med. ejus *Tom.* I. *p.* 1. ut & HALLERI *Collect. Diss. Pract. T.* III. *p.* 31.

§. VIII.

In classe causarum in adjacentibus partibus hærentium, inprimis in censum venire debent variæ ventriculi, hepatis, diaphragmatis, pulmonum, laryngis & glandularum dorsalium affectiones, nec non aörtæ aneurysmata & spinæ incurvationes, aut exostoses in corporibus vertebrarum natæ, horumque luxationes aliaque vitia.

§. IX.

Inter Ventriculi affectiones, quæ huic malo generando suum symbolum conferunt, memorari inprimis meretur inflammatio, quatenus producit spasmos oesophagi violentissimos, & si ad superius orificium locum habeat facile suppurationem & cicatricem, imo & frequentissime ejus callosam producit indurationem, quæ toties lethalis jam observata est (*a*).

Eadem mala produci possunt ab acido forti in ventriculi cavo prædominante, atque frequentius eructato, quale locum habuit in juvene quodam, quem vidit Clarissimus VAN DOEVEREN eructantem materiem acritate oleo vitrioli quasi similem, cum

(*a*) Vid. de hac TRILLERUM in Disput. citata: doct. quoque GYSER Argent. 1770. de eadem Cardiæ Callositate Dissertationem edidit, quam citat. Cl. MESCHER l. c.

cum terra effervescentem, atque candidum (*vernis*) tabulæ, in quam forte illa effundebatur, derodentem: qui etiam Auditoribus narravit, se in homine morbo nigro laborante observasse atrabilariam materiem vomitu rejectam adeo acidam, ut dentes roderet, & stanneæ matulæ, in quam eructabatur, fundum macula alba inficeret, veluti ab acidis corrodentibus fieri solet. Talis certe austeræ acidæque acrimoniæ effectum ad Dysphagiam producendum multum posse, nemo negabit. Dum etiam talis acrimonia in ventriculo ipso ejusque inferiore parte non minus ac superiore & in oesophago suos fatales edit effectus, & ita cibos & potus ad ventriculum usque quidem pervenire sinit, sed transitum ad duodenum iis præcludit, & violentissimos vomitus atque anxietates & tandem atrophiam causat, quales observationes quidem ad manus sunt, quas autem hic non adducam, quum sequenti fasciculo speciatim, de pylori affectibus morbosis agere animus sit.

Hepar inflammatum etiam singultus difficillimi atque pertinacissimæ oesophagi constrictiones sæpe concomitantur; vel & si hujus visceris sinister lobus induretur, vel mole increscat quavis de causa, hic sua compressione iter assumendis præcludere potest (*a*): quod & facit Diaphragma, si laboret similibus modo memoratis malis, vel si fortiter constringatur.

Pul-

(*a*) Vid. MORGAGNE de Sed. & Caus. Morb. Ep. XXVIII. §. 17.

Pulmones vario modo morbofe conftituti, non folum comprimendo, fed etiam, propter arctam contiguitatem, cum oefophago concrefcendo, vel morbofam, quam induerunt conftitutionem ei communicando, ad producendum noftrum morbum conferre videntur, uti ex HAENII obfervationibus (*a*) & Cafu a nobis allato concludi poteft (*b*). Inter partes adjacentes oefophago difficultatem creare laryngem poffe expertus fum in juvene gibbofo, cujus larynx contra quorumvis emollientium atque refolventium applicationem offeam induebat naturam atque oefophagum totum lente claudebat; fymptomata dyfphagiæ comitabantur, anxietates cum anguftia increfcentes, dolores acutiffimi in parte affecta, forte ab offificationibus irregularibus a poftica parte quæ oefophagum pungentes convellebant, lenta glandularum colli intumefcentia, tenfiones utriufque colli & capitis lateris dolorifici; quantitas muci non adeo magna erat, quæ excernebatur ac in aliis cafibus, refpiratio difficilis ex gibbofitate jam inveterata emaciationi notabili adjuncta, mortem acceleravit. Examen anatomicum cadaveris a confanguineis impediebatur.

Frequentiffime vero omnium partium adjacentium peccant Glan-

(*a*) ANT. DE HAEN *Tract. cit. p.* 11.
(*b*) Vid. infra *Cap.* VII. *Obf.* 1.

Glandulæ oeſophagi conglobatæ (*a*), atque Veſalianæ; harum indurationes & præternaturale incrementum ſæpius quam aliæ cauſæ noſtrum morbum producunt, uti plurima docent obſervata. Quandoque tamen & alia corpora glanduloſa oeſophago adjacentia tumore & induratione tali peccant: ſic in duabus Figuris, quas delineandas curavi, & in penultima hujus opusculi tabula appoſui, adfuit glandulæ talis morboſa magnitudo: in adultæ nempe Foeminæ oeſophago, ille tumor, qui infra glandulam thyrioideam oeſophago adjacet (Tab. VI. Fig. I & II. *gg**), videtur nil aliud eſſe, niſi glandula conglobata in præternaturalem molem aucta; dum alter tumor, qui in juniori corpore ad diviſionem arteriæ aſperæ apparet (Tab. VI. Fig. IV & V. *d.*) videtur ex Veſalianis eſſe, propter locum, quem occupat, & quia nonnullæ aliæ hujus generis, minores tamen, a ſtatu naturali aberraverant: Quæ obſervatio non abſimilis TULPIANÆ, quæ glandulas aſperæ arteriæ accumbentes morboſas exhibet (*b*). Quidquid ſit, ex hiſce figuris ſaltem patet, haſce glandulas poſſe indurari, mole augeri, oeſophagum comprimere, atque lethalem Dyſphagiam producere.

Porro inter has partes adjacentes numeramus Aörtam, quæ vo-

(*a*) Vid. HALLERUM *Elem. Phyſ. T.* I. *p.* 139. *& ſeqq. & T.* III. *p.* 150. *&* 151, cf. autem inpr. de hiſce cl. VAN GEUNS *l. c. p.* 64.

(*b*) *Obſ. Med. L.* I. *Obſ.* 44.

volumine aucta, uti in aneuryſmatibus fit, adjacentis oeſophagi actionem non poteſt non turbare. Quod non mirum videbitur, ſiquis arctam viciniam harum partium conſiderat, dum (quod miror) ab auctoribus, qui aortæ aneuryſmata in thorace obvia deſcripſerunt; raro de dyſphagia ut ſymptomate hujus vitii mentio fit, dum tamen aliquando pro noſtri morbi cauſa deſcriptum eſt (*a*) ego ipſe obſervavi aneuryſma magnum magnæ arteriæ in abdomine, quod tanta incommoda in ventriculo, liene & rene ſiniſtro effecit, ut inde facile colligi poſſet, quod ſi hoc idem in ſuperiore parte locum habuiſſet, certo certius oeſophago penitus clauſo lethalis dyſphagiæ cauſa exſtitiſſet: hujus autem obſervationis latior deſcriptio cum delineatione partium in poſterum ſequetur.

Quaſcunque pectoris partes, degeneratione & induratione correptas, oeſophagum ita comprimere & anguſtare poſſe, facile quilibet agnoſcet, qui attente legerit effectus Steatomatis iſtius, quod in Ill. Comitis S. Albani cadavere invenit & deſcripſit ſæculi noſtri & Academiæ Leidenſis ornamentum BOERHAVIUS (*b*). Thymi glandulæ indurationem poſſe nonnunquam etiam Dyſphagiæ anſam dare, patet ex obſervationibus, quas in

(*a*) Talis obſervatio exſtat in *Hiſt. Acad. reg. ſcient. Pariſ. anni* 1700. *p.* 178. & apud MORGAGN. *l. c. Ep.* XVIII. §. 22.

(*b*) V. *Atrocis Morbi Hiſt. alt.*

in elaboratiſſimo ſuo Commentario, qui præmium Societatis Harlemenſis reportavit, adduxit Clar. VAN GEUNS (*a*). Pericardium intus contentis expanſum oeſophagum quoque ita afficere poſſe, patuit mihi in cadavere Juvenis 20 circiter annorum, quod ante aliquod tempus diſſecui, & cuius Hiſtoriam Anatomicam ad calcem Diſſertationis tertia Obſervatione addidi.

Spinæ incurvationem raro ad tantum procedere gradum, ut hinc cibi per oeſophagum deſcendere non poſſint credimus quidem, attamen incurvatio illa non parum contribuit ad majorem ciborum vel potuum fervidorum, gelidorum, aſperorum, auſterorum, acrium, ſcabrorum ſimiliumque alliſionem, & attritum, ad parietum oeſophagi latera; adeoque mali noſtri initia facere & progreſſum promovere haud parum poſſe videtur. Aliquando etiam vertebrarum corpora inter ſe invicem coaleſcunt, abſque incurvatione quidem ſpinæ, ſed intermedia cartilagine degenerata in oſſeam naturam atque ſatis notabiles exoſtoſes formante; quale ſpecimen poſſideo quinque vertebrarum dorſi, abſque incurvatione concretarum, in quo prominent notabiles nodi a quoque latere corporum per degeneratam in os cartilaginem producti ita, ut coſtas duas immobiles quoque retinuerint; hi

(*a*) *L. c. pag.* 75.

hi nodi, si paulo magis versus anteriora locum haberent, tantæ molis sunt, ut notabiliter oesophagi actionem turbassent. Luxationem spinæ difficilem Depulsionem producere quoque posse, videtur concludendum ex GALENI loco, quem citavit SWIETENIUS (*a*). Certo certius ciborum transitus difficilis quoque fuit in illo homine cujus cranium coalitione atlantis, cum occipite & epistropheo rarum, adhucdum possideo, in quo distantia vertebræ superioris ab ossibus palati tam parva est, ut in depurato capite vix digitus pollex intromitti posset (*b*).

§. X.

Enumeratis jam Causis nostri morbi occasionalibus, quæ ex ipso oesophago vel partibus adjacentibus profluunt, recensendæ nunc illæ sunt, quæ in remotiori parte hærentes Nervosum systema ita afficiunt, ut canalis cibarii fiat angustatio. Sic observata est impedita alimentorum Depulsio a materia viscida tenaci ventriculos cerebri obsidente (*c*), qua fiebant aliarum partium spasticæ constrictiones & etiam oesophagi, ita ut inde pe-

(*a*) *Comment. ad Aph.* BOERH. *Tom.* II. *pag.* 647.

(*b*) Vid. Clar. SANDIFORT: exercitationum academ: *Cap.* III. ubi hæ partes accuratissime descriptæ sunt & *Tab.* III. *Fig.* 1. ejusdem operis optime illustrantur.

(*c*) Vid. BONET. *Anat. Pract. L.* 1. *Sect.* 13. *Obs.* 15.

penitus obturaretur. J. J. WEPFERUS (*a*) obſervavit deglutitionem impeditam ab hemicrania, WINCKLERUS (*b*) poſt apoplexiam: in S. N. etiam certiſſime hæſit illa cauſa Dyſphagiæ moralis, niſi fuerit effectus phantaſiæ vitiatæ, quam ROSINUS LENTILIUS allegat (*c*): erat nempe Foemina, quæ omnia eſculenta & potulenta prompte poterat deglutire, excepta Hoſtia conſecrata, quam, licet adhiberetur vis, ut verſus ventriculum deſcenderet, ſemper revomuit.

CAPUT QUARTUM.

DEPULSIONIS IMPEDITÆ SYMPTOMATA ET DIAGNOSIN PROPONENS.

§. I.

Symptomata, quæ in crudeliſſimo hoc morbo occurrunt, non minus triſtia quam gravia ſunt: illa, quæ à cauſa proxima (*Cap.* III. §. 1.) dependent, ut plurimum inter ſe conveniunt;

(*a*) *Obſ. Med. Pract. pag.* 141.
(*b*) Vid. WEPFERI *Hiſt. Apoplectit. Obſ.* 13. *pag.* 464.
(*c*) Vid. *Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Cent.* 7. *Obſ.* 61. *pag.* 125.

niunt; obſervantur tamen in altero, quæ in altero ægro non occurrunt, ſicque à ſe invicem differunt: quæ differentia, non ita ab ipſo morbo dependet, ſed potius debet quæri in diverſitate cauſſarum occaſionalium, aliarumve conditionum accidentalium, uti ætatis, temperiei, ſexus ac vitæ generis.

§. II.

Generalia autem ſymptomata, atque omnem depulſionem impeditam concomitantia, ſunt ſenſus difficilis cujuſdam obſtaculi, quaſi trabis, in quadam oeſophagi parte, ſuperiore, media vel inferiore, quouſque alimenta perveniunt, ubique ſiſtitur progreſſus verſus ventriculum. Solet quidem hujus mali lentum incrementum eſſe, in initio vix ſanitatem lædens, in fine autem violenter hominem crucians (cf. *Cap.* II.) niſi ſit caſus acutus, v. g. inflammatio, catarrhus, ſpaſmus, vel ſi producatur ab heterogeneo quodam corpore in oeſophago hærente. Æquo tamen paſſu non progreditur, aut eadem violentia agit, ſed aliquando adeſt mali remiſſio, paulo poſt exacerbatio nova: eæque remiſſiones & exacerbationes ſymptomatis illius ſunt longiores vel breviores, pro varietate cauſarum & accidentalium conditionum, quæ in ægrotante adſunt. Fames ſolet intolerabilis eſſe; fauces obſidentur ſæpe muco ſpiſſiore, qui etiam magna quantitate evacuatur, in

inprimis eo tempore, quo ægri aliquid ingerere tentant, aut jam ingesserunt; emaciatur corpus, cacochymicum fit & cachecticum; omnes functiones debilitantur & languent, fames desinit, & atrophica tandem mors morbum terminat. Rara fit mali eradicatio. Hæc sunt generalia symptomata, quæ constanter in omni oesophagi angustatione morbosa adsunt.

§. III.

Sunt tamen & alia, quæ dependent a varia conditione morbosa, quæ in causa est, ut oesophagi capacitas minuatur: horum autem innumera series est, & diversitas adeo magna, ut in singulis ægrotis alia atque alia occurant. Quum ergo eorum enumeratio deberet consistere in compilatione verborum variorum Auctorum, & repetitione illorum, quæ in Casibus a me observatis notata sunt, nec non in *Cap.* II. jam sunt memorata; hisce inhærere longius nolo, ne attentione & patientia Lectoris abuti velle videar, unica tantum observatione addita, ad Diagnosin nostri morbi exhibendam transibo; Cl. Præceptor OOSTERDYK mecum communicavit, sese in Vetula, dysphagia cum febre remittente laborante, observasse Aphthas albas, copiosas, facile tamen solubiles, prægressa jam diu alvi constipatione pertinaci admodum, quæ unde originem traxerint, dubium est: forte ex cacochymia per inediam diuturnam orta.

§. IV.

§. IV.

Cognofcitur Morbus ex præfente difficultatis fenfu, in quadam oefophagi parte, ad propellenda alimenta; ex regurgigatione frequenti ingerendorum per os & nares; ex copiofiore folito muci in os affluxu; & ex emaciatione corporis.

Ex hifce fignis præfentibus facile poffumus concludere, adeffe Depulfionem alimentorum impeditam. Utinam eorum caufæ tam facile erui poffent! fed contrarium femper locum habere, omnes, qui talibus ægris adftiterunt, dolent Medici. Aliquando quidem in collo, fi in fuperiori quadam parte hærent, fefe oculis vel tactu perquiri & cognofci permittunt; fæpiffime autem fomes magis inferiora verfus hæret in pectore reconditus, & attentiffimos quoque Medicos fallit, quod in Cadaverum diffectionibus (quæ tamen propter nefandam vulgi fuperftitionem a confanguineis plurimis in cafibus negantur) patet. Si autem cultro anatomico tale cadaver traditur, tunc quandoque occurrunt quædam conditiones morbofæ, de quibus, dum vivi adhuc erant ægroti, nunquam Medentes cogitaverant, aut cogitare poterant. Quid ergo in tantis rerum tenebris eft agendum? Non licet, me quidem judice, Medico in hifce plane quiefcere, & miferos illos Mortales fuæ forti relinquere, fed oportet, ut fedulo inquirat, an ex cauffis prægreffis vel fymptomatibus præfentibus, fi non ad certam,

ad

ad probabilem ſaltem fomitis hujus morbi indoliſque cognitionem pervenire poſſit, eaque forſan occaſionem acquirere auxilium qualecunque ipſis procurandi.

§. V.

In acutis caſibus res ſæpe ſatis clara eſt. Sic v. g. inflammatio ex violentiſſimis, qui comitantur doloribus, ex febre acuta continua præſente, ex prægreſſis cauſſis inflammationi generandæ aptis, ſatis facile cognoſci poteſt. Spaſmus ex cauſis prægreſſis eum producere ſolitis, aut inprimis ex manifeſtis remiſſionibus & exacerbationibus, debet cognoſci: hæ autem in omnibus caſibus, & à quibuſvis cauſis oriundis, adeſſe quidem obſervantur, ſi autem a ſolo ſpaſmo morbus oriatur, lucida adſunt intervalla, ita quandoque, ut pro tempore ab omnibus moleſtiis liberi ſint ægrotantes, & nulla adſint morboſæ conditionis ſigna; pro tempore iterum deinde tam validas oeſophagus conſtrictiones ſubeat, ut, cum anxietatibus atque doloribus, iter ab ore verſus ventriculum penitus clauſum ſit. Si a Corpore heterogeneo deglutito, atque in tubo hærente, malum oriatur, ex narrationibus ipſius ægrotantis vel adſtantium, atque exploratione ope ſtili balenacei ſæpe certo cauſa & ſedes morbi inquiri poteſt.

§. VI.

In illis autem casibus, ubi a levibus primordiis ortus morbus est, Medicum plerumque causa latet, & quandoque etiam distingui nequaquam potest an præsens Dysphagia indurationi oesophagi ipsius, an compressioni glandularum aliarumve partium adjacentium, an paralysi debeat adscribi; quum aliquando nulla horum morborum certa signa in vivis occurrant, ubi tamen, si cadaver examinatur, aliquando una vel altera, aliquando plures, imo quoque omnes memoratæ conditiones occurrunt.

Justam tamen habemus causam, cur credamus adesse Paralysin muscularium oesophagi fibrarum, si fauces ad conspectum sunt pallidæ atque collapsæ. Aliquando autem, cum oculos fugit mali sedes profundior, signa petenda sunt 1°. ex ætate senili, quæ, propter quotidie decrescentem vim vitalem, quam maxime disponit ad partium musculosarum resolutiones; 2°. probabile est, malum a paralysi oriri, si prægressi sunt morbi, qui etiam in aliis partibus talem conditionem relinquunt; 3°. prægressæ evacuationes majores, sive nimia copia sanguis sit detractus, sive alii humores copiosius, quam par est, effluxerint, quorum autem omnium nimia seminis jactura plurimum facit ad hanc affectionem; 4°. signum paralysis est descensus facilior solidorum quam fluidorum.

Si

Si autem ſentitur locus, quouſque preveniunt, ubique remanent alimenta, abſque rejectione, tunc conjecturam Sacci in oeſophago formati facere licebit.

Ab oeſophagi ipſius Induratione malum oriri credimus, vel a Tumoribus in eo formatis illud excitari, ſi 1°. tales prægresſæ ſunt cauſæ, quæ hoſce generare poſſunt, v. g. arroſiones tunicæ internæ, inflammationes, abſceſſus & aliæ, de quibus antea vidimus. 2°. Si adſit ætas ſenilis cum univerſali ſolidorum Rigiditate, præcipue ſi malum incidat in ſubjecta, quæ dedita ſunt vel antea fuerunt abuſui potuum ſpirituoſorum, acriorum aromaticorum, cum forti tabaci fumigatione, vel etiam in hominibus, qui potus aquoſos & cibos fervide deglutire amant. 3°. Denique, ſi inſtrumento exploratorio firma opponitur reſiſtentia.

Induratas glandulas denotant in noſtro morbo. 1°. Temperamentum laxum pituitoſum frigidum. 2°. Atrophia, quam etiam aliarum glandularum, præſertim conglobatarum, comitantur tumores. 3°. Morbi Catharrhales frequenter prægreſſi, quorum recidivæ minima de cauſa concipiuntur in diſpoſitis, & ſic facilis occaſio humoribus ſtagnandi in ſuis glandulis inde naſcitur. 4°. Sedes mali: quæ eſt vel in collo ad laryngem, vel in thorace ad diviſionem aſperæ arteriæ in Bronchia, vel ad locum illum, ubi Thymus in junioribus conſpicitur, vel etiam ad ſuperius ventriculi orificium; quale ſpecimen olim in Phyſiolo-

gico Museo Cl. Præcectoris VAN DOEVEREN servabatur: quo & reduci potest ille tumor glandulosus, in nostra Observatione I. Cap. VII. memorandus, quem exhibet Figura III. adnexæ Tabulæ 6tæ. 5°. Resistentiam hoc in casu non tantam offendit instrumentum, quod ad explorationem immittitur, quam ubi oèsophagus ipse induratus est: sed hoc quasi monticulum superscandit, & ultra obstaculum protrusum facile penetrat versus inferiora, hinc etiam, quando malum nondum ad maximum gradum progressum est, percipitur sensus quasi lateraliter juxta oesophogi parietem descenderent alimenta. 6°. Probabilitatem maximam, oesophagum ab adjacentibus glandulis comprimi, petimus ex eo, quod Cacochymia hasce obstructiones etiam in aliis, quæ visui sese præbent, partibus producens, in corpore præsens sit, qualis est strumosa, rhachitica, cancrosa, similisve.

Alia mala adjacentium partium v, g. Aörtæ aneurysmata, Pulmonum vitia, morbi Hepatis, Diaphragmatis aliorumque organorum varii, ex propriis sibi signis debent cognosci, quæ, dum in omnibus Practicorumere Systematibus enumerantur, nostra repetione non indigent.

Quando malum valde complicatum est, signa solent esse adeo confusa, ut ex hisce nihil certi Medico concludere liceat: & plerumque quidem res sese ita habet, saltem in pluribus Ægrotantibus, quos hoc morbo laborantes vidi, nunquam certa,

ta, hanc vel illam conditionem morbofam præfentem indicantia, figna me vidiffe memini.

CAPUT QUINTUM.

MORBI DYSPHAGIÆ PROGNOSIN SISTENS.

§. I.

Prognofis confiftit in fequentibus. Dyfphagia Morbus in genere eft periculofiffimus, rariffime fanationem, aliquando palliationem admittens, ut plurimum autem in longum protractus lenta morte terminatur (*a*).

Sunt autem gradus in periculo pro diverfitate atque gradu caufæ conftituentis diverfi: dantur enim caufæ, quæ certam producunt inevitabilemque mortem; dantur, quæ licet non quidem poffint fanari, tamen, fi recte tractentur, vitam non deftruunt; poffunt etiam adeffe tales caufæ, quæ, minori pertinacia atque periculo ftipata, jubent, ut non omnem fanationis fpem abjiciamus. Videamus breviter de fingulis.

§. II.

(*a*) Conf. *Cap.* II.

§. II.

Lethalem eventum prædicere debemus 1°. Si malum oriatur ab oesophagi partiumve adjacentium scirrhosa Induratione; hæc enim certo non auscultat resolventibus remediis: saltem nostris in regionibus plurimi Medici atque Chirurgi testantur, se in vero scirrho nunquam à resolventibus, licet fortioribus, remediis, tales effectus vidisse, quales nonnullii de iis scribunt. Steatomata in pectore certius quoque, & sine ullo dubio, huc spectant. 2°. Neque curari morbus potest, si oritur ab Excrescentiis fungosis vel carcinomatosis in cavo oesophagi, de die enim in diem talis causa in pejus ruet, donec clauso penitus tubo, mors diu exspectata insequatur. 3°. Idem periculum adest, si Spina dorsi adeo sit incurvata, ut hujus angulus parietes oesophagi ad se invicem comprimat, aliudve ejusdem vitium Dysphagiam producat. 4°. Aneurysma magnæ arteriæ dysphagiam producens raro sinit, ut in longum potrahatur, sed sæpius cito, semper certo, interficit afflictum hominem. 5°. Lethalem eventum declarare possumus, si oritur morbus a callosa oris ventriculi induratione, quod malum frequentissimum esse patuit ex Auctoribus supra citatis (*a*). 6°. Fa-

(*a*) Vid. etiam cl. VAN GEUNS *l. c. p.* 68. 123.

6°. Fatum lethale eſt, ſi via ciborum per talem præcludatur Saccum, qualem Briſtolienſis Medicus LUDLOW obſervavit & antea citavimus ex actis Medicorum Londinenſium (*a*). 7°. A poſteriore concludere licet, in complicatione illa malorum, quam in Foemina illa, cujus morbum obſervavi, inque *Cap.* VII. deſcribam, ſimilibuſve, nullam ſanationem locum habere poſſe, quæcumque etiam adhibeantur remedia.

§. III.

Morbus diu poteſt perferri atque tollerabilior reddi ægris & palliari, ſi atonia vel paralyſis fibrarum oeſophagi muſcularium impedit, quo minus rite peragatur deglutitio: ſi enim neque ſtimulo remediorum roborantium neque electrico poſſimus prodeſſe, habemus inſtrumenta, quibus protrudere vel injicere poſſumus ſat magnam alimentaris materiæ quantitatem, ut vita ſuſtentari poſſit. Nec dubitari poteſt, quin dictarum antea cauſarum noſtri morbi variæ ſint, quæ poſſint lente procedere, aut ab idoneis remediis ita corrigi, ut per annos durent: qualia exempla varia exſtant in Commentario ſæpe memorato cl. VAN GEUNS, & quidem ſpeciatim illa obſervatio, quam

(*a*) Vid. *Cap.* III. §. V.

quam ei ſuppeditavit doct. STINSTRA, de Foemina quinquagenaria, topica, ut videtur, ulceratione laborante (*a*). In pigritia fibrarum oeſophagi ab incipiente rigiditate haud parum valere poterunt reſolventia, diluentia, emollientia, ſimiliave remedia.

§. IV.

Non autem ſemper ſpem radicalis ſanationis abjici omnem debere, patet exinde, quod poſſint adeſſe cauſæ minori progreſſu, violentia & pertinacia præditæ, quæ ſanationem quandoque admittunt, nam ſublatis cauſis tolli etiam effecta poterunt. Sic v. g. ſanabile malum eſt, 1°. Si oriatur ab Inflammatione, novimus enim, omnis partis inflammationem, ſi in optabilem abeat reſolutionem, imo etiamſi ſuppuratione facta abſceſſum formet, ſanari adhucdum poſſe; idque uti ratio docet, ita & experientia confirmat. 2°. Si oriatur morbus a ſpaſtica oeſophagi, cardiæ, vel diaphragmatis Conſtrictione, ſanari quoque poterit: ita tamen, ut prudentiſſime ſit cavendum etiam à leviſſimis occaſionalibus cauſis, ne recidiva concipiatur; quod ſatis cito fit. 3°. Sanabile quoque malum eſt, ſi a non inſanabili plane Intumeſcentia glandularum in collo ja-

(*a*) Vid. *Acta Harlemenſ. Tom.* XI. *pag.* 166.

jacentium oesophagus comprimatur; hæc enim tum internorum remediorum ope, tum applicatione cataplasmatis vel emplastri resolventis, frequenter & fere quotidie tolli solet, nec tolli certe omnino respuet, ubi compressio superioris partis oesophagi ab ea excitatur. 4°. Sanationis spem habemus, si adsit talis oesophagi, vel glandularum, vel viscerum, aliorumve organorum adjacentium obstructio, induratio, aliave comprimens oesophagum affectio, quæ non sit indolis scirrhosæ, & resolutionem ex sua natura admittat. Videmus enim, aliarum partium musculosarum ac glandulosarum indurationes resolvi posse ope remediorum resolventium, uti sunt succus Cicutæ, Antimoniata, Mercurialia, Gummi ferulacea, Aqua marina, Extracta amara &c. (*a*), quæ in hisce casibus adhiberi sequente Cap. apparebit. Sic in Infante ex pertinaci acido ventriculi valde emaciata, ac duro ventris tumore cum manifestis mesentericarum glandularum indurationibus laborante, bilem animalem cum Syr. Cichorei tanto cum effectu adhibui, ut, quæ ex inedia morituræ speciem referebat, puellula brevi tempore perfecte sana sit reddita, & habitus corporis ejus ita sit mutatus, ut jam multa pinguedine niteat. Cum autem adesse possint indurationes glandularum oesophago adjacentium, quæ

(*a*) Vid. *Acta Harlem.* *Tom.* XI. *pag.* 112. *& seqq.* *& pag.* 231.

quæ ejuſdem ſunt indolis, ſequitur, quod hiſce in caſibus a remediis reſolventibus tempeſtive adhibitis idem exſpectare liceat. 5°. Tandem ſanari poterit oeſophagi obturatio, ſi producatur a Corpore heterogeneo deglutito, & accedat ſtatim Chirurgus dexter, qui pro ratione conveniente illud ulterius in ventriculum propellat vel extrahat ſurſum.

CAPUT SEXTUM.

DE CURATIONE DEPULSIONIS ALIMENTORUM IMPEDITÆ.

§. I.

Medicus ad ſanandum Dyſphagiæ morbum vocatus in omni Ægrotante nec poteſt nec debet eodem procedere modo, ſed diverſimode agendum ipſi eſt, prout varia conſtitutio corporis, morbi duratio, ſymptomatum numerus & violentia, cauſarum diverſitas, virium ratio, aliæve accidentales conditiones poſtulabunt. Statuimus autem, ne omnium illorum Indicantium examine in nimium extendatur hoc Caput, in omnibus in genere Curam ſequentibus Indicationibus abſolvi poſſe, ita ut nunc hæc, nunc illa vel altera, in Ægrotis adhibeatur.

Iª. Ju-

I[a]. Jubet ut tollatur Causa Depulsionis alimentorum impeditæ proxima; II[a]. Ut, si non possit hæc tolli, mali progressus prohibeatur, & corporis vires sustententur; III[a]. Ut symptomata molesta & urgentia mitigentur, & Vita, quamdiu fieri Arte potest, conservetur.

§. II.

Primæ Indicationi satisfit, si removeantur causæ remotæ angustationem oesophagi nimiam producentes: quum autem hæ admodum sint diversæ, diversa quoque requiritur medendi methodus ut spartam nanciscamur: quem in finem in hac §. breviter hasce exponam, quatenus accommodari possint ad varias istas Dysphagiæ species, quas in ultima §. Cap. V. vidimus non omni sanationis spe destitui. Quum vero ab Auctoribus antea laudatis hæc res sedulitate & accuratione magna fuerit tractata, B. L. a me non multa exspectabit, quæ eorum laboribus adjici possint, & brevitatem me amplexum fuisse, facile excusabit.

A.) Si ab Inflammatione oesophagi angustia producatur, antiphlogistica tota cura esset debet, modo ne talia adhibeantur, quæ directe parti affectæ applicata suo stimulo nocent, quare nitrosa, acida, salina, in aliis inflammationibus tam utilia, hic interne non possunt in usum vocari. Verum post venæsectio-

 nes

nes in brachio, pro intensitate inflammationis atque constitutione ægrotantis, audacter repetitas, conveniunt illa, quæ diluunt, demulcent, humectant & sensilitatem affectæ partis moderant, uti sunt Linctus, Decocta, Julapia mucilaginosa & leniter refrigerantia: quum autem sæpius fiat, ut nulla penitus medicamenta ingerere possint ægrotantes, in externis remediis solamen quærere debemus, inter quæ potissimum conveniunt Cataplasmata emollientia & resolventia dorso applicata, ad illum locum, ubi dolor sentitur, vel Fomenta aut Emplastra eidem scopo inservientia. Si autem occasio sit instituendi Balneum calidum totius corporis, capite excepto, nullum scopo melius respondens, quam hoc, putaverim remedium; aperiuntur enim ejus efficacia pori inhalantes, humores diluuntur, & resolvuntur spasticæ quarumcumque partium constrictiones. Si autem huic non datur aptus instituendi locus, per Clysmata diluentia, resolventia, saponacea idem præstare conabimur, quæ tum etiam primario conducent, quando, propter summam Oesophagi inflammati sensilitatem, nulla, vel non sufficientia, ingeri poterunt Remedia Antiphlogistica. Sed omnibus hisce absque successu tentatis, Vesicatorium in usum vocandum est, & ad dorsum applicandum, ut hoc vi sua resolvente ac revellente idem præstet ac in aliis inflammationibus internis, in quibus salutares suos effectus toties exseruisse observatum est Practicis non nimium meticulosis & male prudentibus.

Si-

Sique hæc omnia nihil juvent, & ad Suppurationem inflammatio transſeat, quod ex remittentibus quodammodo febre atque dolore, & permanente (ſi non aucto) anguſtationis ſenſu, cognoſcitur, omnia conveniunt, quæ ad maturationem atque rupturam abſceſſus aliquid conferre poſſunt. Ubi ruptus fuerit abſceſſus, & pus ex corpore eliminatum, in id laborandum eſt, ut ulcus curetur: interim quoque ſpaſmi, pro quorum majore vel minore efficacia etiam dyſphagia gradu multum differt, compeſcantur talibus remediis, quæ illis opponi ſolent, adjunctis ſimul, quæ ulcus depurant, & ad ejus conſolidationem faciunt. Communicavit mecum Celeb. OOSTERDYK, ſeſe in tali caſu cum ſucceſſu exhibuiſſe Mixturam anodynam & ſubadſtringentem ſequentem in paroxyſmo, ℞. *Aquæ Naphæ* ℥ ij. *Tinct. Croci* ʒ ß. *Laud. pur.* gr. j. *Mell. Roſacei* ʒ iij. M. ſubinde ad parvum cochlearculum aſſumendam; & extra paroxyſmum exhibebatur ſequens remedium, ℞. *Mell. Roſac.* ℥ j ß. *Gumm. Arab.* ʒ j. *Myrrh. Elect.* ℈ j. *Cort. Peruv. Elect.* ʒ iij. *Syr. Roſar. rubr.* q. ſ. M. fiat Electuarium accurate mixtum, cujus omni hora, vel quovis bihorio, parvum cochlearculum aſſumi debebat.

Si vero exitus Inflammationis fuerit in Indurationem, multa moliri non debemus, ne abſque fructu ægris plus incommodi & noxæ quam emolumenti afferamus: ſed emollientibus atque humectantibus progreſſui mali iſtius proſpiciendum eſt, caven-

do ſedulo ab omnibus calidis, acribus, ſtimulantibus, adſtringentibus, frigidis, gelidis, quæ affectam partem irritando facile ad calloſam, ſcirrhoſam, imo cancroſam indolem morbi producendam contribuerent.

B.) Spaſtica oeſophagi Conſtrictio pertinax ſæpe & curatu difficilis eſt impeditæ Depulſionis cauſa, & eo quidem frequentior, quo ſenſibilior eſt tubi alimentaris tota ſubſtantia fibroſa admodum & nervoſa, quoque ideo magis pleriſque oeſophagi affectibus ſeſe ut ſymptoma adjungit (*a*). Ut hæc ſanetur, tolli debent cauſæ, quæ ſpaſmum produxerunt: quod pro eorum diverſitate vario modo tentari debere per ſe patet. Cæterum ab Opiatis, Antihyſtericis, Fomentis, Cataplaſmatibus & ſimilibus (*b*) præcipuum auxilium exſpectamus: dum in plenaria præcluſione, ad qualemcumque corporis nutritionem ſuggerendam, Clyſmata nutrientia non ſunt omittenda.

C.) Simili modo procedendum eſt in cura Paralyſeos oeſophagi: ſollicite præterea inquirendæ ſunt ejus cauſæ, & cognitæ hæ quovis meliore modo corrigendæ, dum per ſtimulantia Roborantia (*c*), intus aſſumta atque extus applicata, nec non per ſtimulum electricum, oeſophagi priſtinus tonus inſtaurandus

(*a*) Conf. *Cap.* II.

(*b*) Vid. *Act. Harlem. Tom.* XI. *pag.* 111. & 163.

(*c*) Vid. *Act. Harlem. Tom.* XI. *pag.* 110.

dus eſt: impotentiæ autem cibos ingerendi interim ſuccurrimus Inſtrumento idoneo alimenta propellendo adaptato (*a*).

D. Si vero malum oriatur ab Indurationibus ipſius Oeſophagi vel adjacentium Glandularum, ad remedia, quæ hiſce reſolvendis apta reperta ſunt, confugiendum eſt. Hoc ſcopo laudantur Extracta reſolventia, inter quæ ſuccus Cicutæ inſpiſſatus primum tenet locum: Gummi ferulacea etiam in uſum vocari poſſunt: laudem merentur quoque Salia alcalina (*b*), quæ non tantum vi reſolvente conveniunt, ſed etiam ad temperandum acidum, quod in debili ægrotantium ventriculo generatur, & cardialgias moleſtas ac flatus dolorificos excitat. Efficaciſſimam autem reſolventem vim invenimus in remediis Mercurialibus atque Antimonialibus, vario modo præparatis: fateor, nonnullos, inter quos expert. Chirurgum (*c*) TITSING, non multum uſui Mercurii favere, imo putare potuis illum nocivum eſſe; Mercurii tamen propinationem tutam atque utilem invenerunt alii Obſervatores, eamque æque in Oeſophagi ac aliarum partium pertinacibus indurationibus ſatis certo profuiſſe, ſua experientia demonſtrarunt (*d*). Hinc com-

(*a*) Vid. HIER. CAPIVACCII *Prax. L.* I. *Cap.* 53. & MAUCHART *Diſſ. cit.* §. 25.

(*b*) Vid. VAN GEUNS *l. c. p.* 115. & 170.

(*c*) Vid. *Verdonk. Heelk. p.* 577. *ad* 584.

(*d*) Vid. *Med. Eſſays of Edinburg Tom.* I. *Art.* 6. HALLER *Elem. Phyſ. Tom.* I. *p.* 89. & *Tom.* VI. *p.* 101. V. GEUNS in *Act. Harlem. Tom.* XI. *p.* 112—114. NAHUYS ib. *p.* 231. SANDIFORT *Biblioth. Phyſic. Med. T.* IX. *p.* 243.

combinatio variorum illorum Resolventium laudari meretur, qualem Celeb. V. DOEVEREN in Juvene, ex hac causa depulsionem impeditam habente, cum successu adhibuit, scilicet Mercurium cum succo inspissato Cicutæ & Sulphure aurat. Antim. (*a*). Majorem adhucdum efficaciam exspectat cl. PLENCKIUS ab usu Mercurii vivi cum Gummi Arabico soluti, & forma liquida præscripti, qui etiam in Ægra nostra fuit adhibitus (*b*). Externæ etiam frictiones Mercuriales optimo cum successu adhiberi possunt (*c*).

E.) Si ab aliis adjacentium Partium morbis non insanabilibus oesophagi angustia producatur, uti glandularum collo adjacentium Pulmonum, Aortæ, Diaphragmatis, Hepâtis &c. pro varia eorum indole, & diagnosi, quam rationalis de illis format Medicus, cura etiam varia erit instituenda. Perfecte sic in sanitatem restituere mihi contigit virginem robustam rusticam, quæ pulchra corporis habitu gaudens animi tistitiâ, propter depulsionem læsam ab intumescentia & induratione glandulæ ad latus laryngis intra duas menses valde emaciebatur; ita ut pristinæ formæ plane absimilis esset, adposito emplastro mercuriali atque intus exhibitis remediis resolventibus modo lau-

(*a*) Vid. *Obs. penultimam.*

(*b*) De quo tamen conf. Cl. A. P. NAHUYS in *Act. Harl. T.* XI. *p.* 232.

(*c*) Vid. IDEM *l. c. p.* 234. ut & Cl. Præceptor SANDIFORT in *Natuur en Geneesk. Bibl. p.* 245. *& seqq.*

laudatis, detumuit glandula, mollior fiebat & tota evanuit cum impedimento depulſionis, ſicque ſatis cito habitus melior factus eſt, & pulchritudo rediit.

F.) Si a Corpore heterogeneo deglutito atque in oeſophago hærente via intercipiatur verſus ventriculum, convenit venam ſecari, ſi metus adſit inſtantis vel præſentis inflammationis, hauſtuque repetito Aquæ, aliuſve potus, aut & Olei, tentari, num verſus ventriculum, ope talis vehiculi, deferri poſſit: quod ſi non ſuccedat, Ars Chirurgica in auxilium erit vocanda, ut illud apto modo extrahatur: & ſi non ſtatim poſſit extrahi, debet verſus ventriculum protrudi methodo, quæ exhibetur cum delineatione inſtrumenti in Actis Edinburgenſibus (*a*). Si autem nec una, nec alia, operatio (quam cautiſſime inſtituendam eſſe jam ſupra inculcavi) ſucceſſum habeat, denuo multum boni præſtabit copioſa aſſumtio Olei lini vel olivarum aliuſve blandi liquoris, ut relaxetur tubus & lubricus fiat, atque ſic ulterius deſcendere poſſit Corpus ei inhærens (*b*). In canibus etiam operationem oeſophagotomiæ tentavit Cl. GUATTANI atque ſæpius illam cum ſucceſſu inſti-

(*a*) Vid. *Medical Eſſays Tom.* I. §. 16. conf. Comment. hac ſuper re exp. HEVIN in *Memoir. de l'Acad. R. de Chirurg. Tom.* I. & cl. GUATTANT in *Eod. Op. Tom.* II. nec non BAUVÉ ap. LENTFRINK *Geneesk. Tydſchrift* IV. *Deel pag.* 53. & *Journal de Medicine Tom.* XXXI.

(*b*) Vid. SANDIFORT *Biblioth. Tom.* VII. *p.* 250. & *ſeqq.*

ſtituiſſe, nunquam vero in homine teſtatur (*a*), & quamvis propter ingentem numerum arteriarum atque nervorum periculoſiſſima ſit habenda hæc operatio, ſi tamen omnia cetera nota molimina irrita ſunt, & æger præ corpore hæterogeneo in oeſophago hærente certam vel præ inediæ aut ſuffocationis metu mortem expectat, non penitus rejicienda mihi videtur, cum aliquando effectu cum ſperato inſtitutam in tali caſu illam legimus, nempe a Cl. GOURSAND in homine qui os pollicem longum & ſex lineas latum in oeſophago inflixum habuit, & etiam a Cl. ROLAND poſt inutiles deprimendi conatus eodem cum ſucceſſu peracta fuit (*b*).

§. III.

Ut Secundæ Indicationi (§. I.) ſatisfiat, cavendum eſt a cauſis occaſionalibus, quæ antea malo anſam præbuerunt. Ne affectæ ergo partes irritentur, & malum in pejus ruat, abſtinendum erit a cibis durioribus, aſperis, fervidis, valde acidis, auſteris, ab omnibus acribus, ſimilibuſve, a vino rubro auſte-ro,

(*a*) Vid. *Memoires de l'Academie Tom.* III. *pag.* 13. & BERTRANDI *Tract. Chirurg. Tom.* II. *pag.* 426. vid. *Comm. Lypſ. dec.* I. *Vol.* VIII. *pag.* 22. & eorundem *Comment. Lypſi. Supplem.* II. *pag.* 671.

(*b*) Vid. *Comment. Cit. Tom.* VIII. *pag.* 197.

ro, a ſpiritibus deſtillatis, a fumo tabaci, a refrigerio, abuſu potuum aquoſorum, ab animi pathematibus, aliiſque antea memoratis. Sed conveniunt lenia reſolventia, mucilaginoſa, alvum leniter moventia, & evacuationes ſolitas regulariter & pro ratione virium promoventia: dum in hiſce morbi conditionibus præſtat cavere a ſtimulantibus aut dictis Reſolventibus fortioribus, quippe Ægris magis nocituris. Denique & Diæta ex fluidis, tenuibus juſculis, aliiſque blandis alimentis, & lacte ac lacticiniis, quæ ſine majore difficultate & attritu depelli, a ventriculo debili facile digeri, & ſub parva mole multum liquoris nutrititii præbere poſſunt, multum hic conferre poſſumus.

§. VI.

Tertiæ Indicationi (§. I.) ſatisfaciendum eſt, occurrendo ſymptomatibus ſingulis pro varia eorum indole, unde certa, omnibuſque Ægrotis congrua, hic regula non poteſt exhiberi. Doloribus & anxietatibus occurrimus mucilaginoſis, anodynis & antiſpaſmodicis. Vidi ſic, quando hiſce paroxyſmis loborabant, egregium effectum a Pulvere Caſtorei cum Oculis Cancrorum: optimum autem eſt, ut Eccoproticis alvus laxa teneatur ad præcavendas has anxietates. Vires ſuſtinendæ ſunt diæta eupepta & euchyma ex lacte, juſculis carnium macilentarum atque ovis ſorbilibus; medicamentis roborantibus, car-

diacis non ſtimulantibus, inter quæ Cortici Peruviano, mollibus tamen obvolvendo remediis, primaria laus competere videtur; neque vituperandæ ſunt Aquæ Martiales cum lacte, debito ſub regimine potæ. Si autem via penitus ſit occluſa, & nihil ingeri per ſuperiora poſſit, unicum remedium, quod ſuper eſt, conſiſtit in applicatione Clyſmatum nutrientium (*a*); quæ nimis negliguntur, aut ſæpe male ſano pudore, aliave de cauſa, quemadmodum a noſtra Ægrota, plane reſpuuntur in talibus caſibus, quum certo ſæpe multum boni ab hiſce exſpectari poſſet (*b*). Quum vero infra collum hærens mali ſedes, ſemper dubium de ſua natura in medentibus movet, mihi videtur, niſi manifeſta paralyſios adſint ſigna, ſemper a ſtimulantibus, abſtinendum eſſe medicamentis, imo niſi aliquid corpus heterogeneum protrudendum verſus ventriculum eſſe novimus, ipſam explorationem ope ſtili balenacei periculoſam eſſe opinor, quid dicam de ejus motione verſus inferiora & ſuperiora, quam nonnulli ſuaſerunt in ipſa oeſophagi ipſius degeneratione interna.

Atque ex illis, quæ de fabrica ſana oeſophagi diximus non mi-

(*a*) Methodo, quam proponit Cl. MAUCHART in Diſſ. de *Struma oeſophagi* §. 25.

(*b*) Vid. MORGAGN. *de Sed. & Cauſ. Morb. Ep. An. Med.* XXVII. & TRILLER. *Diſſ. de uſu Clyſterum nutrientium*, quæ quoque in ejus Opuſculis Med. & Philol. invenitur.

minus quam ex ſpecimine in ultima obſervatione allato concludi facile poteſt, qui rem non ex opinionibus ſed ratione contemplatur, a reſolventibus blandioribus in iis caſibus ubi ipſum oeſophagum, ſive excreſcentiis internis, ſive excoriationibus, ſive induratione tunicarum affectum putamus, optimum eſſe præſidium, æque in initio ac in progreſſu malorum; exulare ergo multa debent remedia ab aliis commendata, quæ ſtimulando aut rodendo partes adeo ſenſiles plus damni quam emolumenti adferunt, aquam calcis, aluminis ſolutiones & alia ejus generis nunquam exhibeo, ſalia ipſa alcalina dum neceſſaria judico, involvo ne directe partem adfectam irritent, ſuccum inſpiſſatum Cicutæ cum Gum. Arab. & Syr. Altheæ Cochlearibus parvis ſæpius propinatum forma linctus, diu ad partem adfectam hæret, demulcet atque ſua vi reſolvente & antiſpaſmodica, de quâ poſtea videndi nobis erit occaſio, lente agendo multum boni præſtat, dum Mercurialia optimum præſtant effectum, ſi glandulæ induratæ, abſque ipſius tali ſubſtantiæ degeneratione, in cauſa depulſionis impeditæ ſunt.

CAPUT SEPTIMUM.

CONTINENS QUATUOR OBSERVATIONES PROPRIAS, NEC NON FIGURARUM EXPOSITIONEM.

Obſervatio I.

Mulier trigeſimum & octavum annum agens, habitus corporis modici, temperiei cholericæ, ſex infantum mater, quorum bis gemellos pepererat, bis unicum enixa fuerat, proſpera fere ſemper valetudine fruens, anno 1777. incepit queri de ſummis in ventriculo doloribus, ingrato deraſionis ſenſu ſeſe manifeſtantibus, & ad tranſitum cibi potuſve valde exacerbatis. Cujus mali ſolatium a Celeberrimo Medico quæſivit & tum feliciter quoque obtinuit; per aliquod tempus libera difficilibus hiſce ſymptomatibus.

Anni vero proxime ſubſequentis menſe Junio, obſtaculum bolo per oeſophagum propellendo, ad palmæ ſupra cardiam altitudinem percipere coepit, & cibos in ventriculum modo tranſituros ſæpe multo muco mixtos rejicere: in genere quidem omnia difficulter tranſibant ſolida, ſed inprimis tamen farinaceis, ut pani & fabis (quas eo anni tempore copioſe come-

dé-

dere ſolebat,) ulteriorem deſcenſum negabat obſtaculum. Malo hoc ſenſim adaucto moleſtias jam tunc ſummas patiebatur, ita ut iterum ad eumdem Medicum confugeret, qui reſolventibus remediis actionem tubi alimentarii tantopere emendavit, ut, ſine magnis conaminibus, facile cibos aſſumere & ad officinam digeſtoriam transferre poſſet.

Ejuſdem iterum anni autumno noſtra alio morbo ægrotavit: cujuſnam autem ille fuerit indolis, mihi non conſtat, quum alius tunc Medici conſilio fuerit uſa, & ipſa Foemina ejus ſymptomatum fuerit immemor, hoc tantum ſibi in memoriam revocans, quod poſt ejus ſanationem per aliquod tempus oeſophagus promptius ſuo officio fungebatur, multo facilius cibos verſus ventriculum ire permittens, ita ut moleſtum malum penitus eradicatum eſſe crederet.

Verum poſtea caput iterum efferre priſtinum malum coepit, & majores Miſeræ creare moleſtias, ita ut, poſtquam ejuſdem Medici conſilio ſine fructu ſatis diu fuerat uſa, jam tertia vice ſeſe Clariſſimo Præceptori VAN DOEVEREN, qui hanc Obſervationem faciendi mihi anſam ſuppeditavit, obtulerit. Multo deterior quam olim nunc erat Ægrotantis ſtatus: nulla enim nunc ſupererat ſolidos cibos depellendi facultas, continua cum multo humore ſpumoſo mucoſo aſſumtorum regurgitatio, poſt prægreſſas ſummas anxietates, cum ſolitis ſignis, quæ Dyſphagiæ facilem ſiſtebant diagnoſin. Unde præter remedia

non-

nonnulla, ex urgente indicatione ipſi præſcripta, neceſſe erat Ægræ ſuadere, ut ſolita ſua corpori non proficua, maloque ſuo potius adverſa, omitteret alimenta, atque uſu lactis juſculorumque carnis tenuium cum farinaceis mollibus coctorum vires & vitam ſuſtentare tentaret.

Quamvis maxime debilitata, tot & tam diu ſymptomatibus preſſa, valde cacochymica jam facta parvam vel nullam ſanationis ſpem relinquere jam tum videretur, Indicationem tamen ſecundam, antea propoſitam, ſequi placuit, & tum ope dictæ Diætæ, tum Reſolventium remediorum tentare, num vita Ægrotantis, quamdiu liceret, protrahi poſſet. Itaque præſcriptæ in his rerum anguſtiis fuerunt parvæ Pilulæ ex ſucco inſpiſſato Cicutæ, Sulphure Antimonii aurato, talique Calomelæ doſi, ut ſalivatio a Mercurialis remedii uſu haud facile metuenda eſſet, juſſumque, ut vel integras, vel lacte aut juſculo ſolutas, deglutiret illas Pilulas, & ſic effectum, ut in corpore retinerentur, atque ventriculi cavum attingere, ejusque actionem ſubire eæ poſſent. Interpoſita quandoque, prout ſymptomata & querelæ dictabant, fuere analeptica, leniter cardiaca, antiſpaſmodica, palliando potius quam morbum ſanando deſtinata.

Licuit mihi ab hoc tempore cum cl. Præceptoris venia Ægram noſtram coram examinare, domi ſuæ viſitare, deque ejus ſtatu ſæpius renunciare & ſermones cum Eo conferre.

Di-

Dicta sub diæta, & debite memoratis adhibitis remediis, aliquamdiu satis manserunt vegetæ vires ad tertium usque mensis Martii diem, a quo tempore violentia mali maximopere increvit, & in pejus abierunt quæcumque morbi symptomata: tunc nempe multo aëre distentus ventriculus magnas creabat anxietates, inque flatuum eructatione acerbissimos producebat dolores: invadebat & tunc simul febris cum pulsu parvo valde contracto & universali corporis summa debilitate: si quid ingerere conaretur, hoc jam transitum difficilem in collo offendebat, quo in loco antea nullum perceperat angustationis sensum; præter hunc autem, etiamsi quiesceret ab actione tubus, continuo ibi loci aderat pressionis sensus, quem a muco inspissato atque in oesophago hærente produci illa credebat, dum extus ad oculum vel tactum nullus detegi poterat tumor.

Proxime insequentibus diebus omnia remittebant symptomata, vires erant constantiores, sed fames insignis ægram vexabat: unde ad solidos cibos appetitu ferebatur, & sumsit frustulum panis, quod magnis moliminibus & corpore prono deglutire coacta fuit. Unde non tantum maximopere fuit fatigata, sed partibus affectis tantam quoque intulit vim, ut post meridiem cum copioso muco etiam quamdam sanguinis quantitatem evomeret, postque vomitum febre ac animi deliquio corriperetur: utebatur porro resolventibus, inprimis prudens usus fiebat Cicutæ cum Calomela & Sulphure aurato Anti-

N mo-

monii. Mercurius deinde, ob difficilem depulſionem, præſcribebatur juxta methodum PLENCKII cum G. Arab. & Syr. Artem. Omnia autem hæc neque ſalivationem, neque optatum levamen, multo minus ſanationem exhibuerunt, ita ut ſenſim illa aſſumere repudiaret, moleſtiæque inde natæ cogerent ab eorum uſu fere abſtinere. Senſim itaque adeo fuerunt imminutæ hujus foeminæ vires, ut ex ſola debilitate in quaſi animi deliquio verſaretur, neque fere loqui, neque ſeſe movere poſſet, compos tamen mentis & rerum peractarum conſcia, per inediæ efficaciam in ſceletum quaſi vivum redacta fuerit.

Simul ac nunc lactis aliuſve fluidi paulo majorem ſumeret copiam ſtatim illud revomuit, commixtum particulis griſei coloris, odoris obſcuri, ſubacidi, qui odor in rejecto muco, cui & interdum intermixtus erat ſanguis, magis percipiebatur manifeſtus, & caſeo corrupto ſimilis; ſi quid aſſumtorum parva ſimul quantitate ingereret, hoc perveniebat nequaquam ad ventriculum, ſed reſtabat ad locum affectum, ibique ſummos cruciatus excitabat, cum anxietatum & deliquiorum continuo incremento: omnia denique mortem inſtare certiſſimam indicabant, quam clyſmatibus nutrientibus, quantum fieri poſſet, differre tentatum fuit: ſed eorum applicationem repudiabat Ægrota, mortem præferens miſerrimæ vitæ conditioni. Dolor interim quoque per totum corpus erat diffuſus, inprimis

vero

vero in femore dextro tam dolorifica fuit sensilitas, ut adtactum integumentorum sine clamore non ferret misera, dum extrinsecus nihil appareret, nisi quod magis esset emaciatum quam sinistrum femur.

Perrexit nunc continuo eructare materiem caseo corrupto similem, cum dolore magno & foetore molesto, putansque pulmonum suorum substantiam sic excreari hisce ipsissimis verbis mortem instantem indicabat, *Ik voel dat ik myn long reeds uytspuwe:* nihil nunc amplius assumens, cum leviuscula febre, per triduum adhuc jacuit, specie mortuæ vivens, donec die 14°. Aprilis 1779. placide exspiraret.

Die 15°. Aprilis vespera, trigesima sexta circiter post mortem hora, cadaver examinans cum clarissimo PRÆCEPTORE variisque Sociis, inveni in colli dextra parte, supra claviculam, catrotidem inter & asperam arteriam, induratam Glandulam, habentem cartilagineam fere duritiem, circiterque ovi columbini magnitudinem (*Fig. I. & II. g. Tab. VI.*): hinc usque ad septimam dorsi, a superioribus numerando, vertebram oesophagus flaccidus erat, collapsus, sed ultra solitam dimensionem dilatatus (*h*); hanc autem circa vertebram nova detegebatur durities & inspissatio, quæ ipsum occupare oesophagum apparebat (*k*).

Cum pulmonem dextrum, a posteriore parte quodammodo pleuræ accretum, manu sinistrorsum reclinare conabar, vi illa,

utut levi, ſolvebatur adhæſio non tantummodo, ſed laceratio fiebat, & ex foramine ſic facto mox erumpebat materies albo-cinerea, ſpiſſa, grumoſa, lac corruptum odore & habitu plane referens. Præſentiam vomicæ illo in pulmone ſuſpicans per factam aperturam immittebam digitum, & revera inveniebam ſaccum medio in lobo, amplum, dicto magmate repletum. Deinde prudenter digitum volvens revolvenſque, ut de exſtenſione ejus ſacci judicarem, alterum offendo foramen (*i*, *i*, *k*.) & per quod intrans digitus ipſiſſimam materiem offendit. Sublato poſt hæc pulmone vidi, quemadmodum ex dictis prævifum erat, patulam ex oeſophago in incumbentem pulmonem fuiſſe viam: neque recenter facta videbatur hæc communicatio, quum margines dictam aperturam cingents eſſent valde ſcabri, inæquabiles, incraſſati, & viderentur etiam eſſe gangrænoſi.

Infra hanc degenerationem oeſophagus, parum inflexus, ad longitudinem trium fere digitorum tranſverſorum (*l l*.) eamdem ſervabat duritiem, & ibidem tantopere per tunicarum ſpiſſitudinem diminutam habebat ſuam capacitatem, ut calamum ſcriptorium vix tranſmitteret. Ulterius vero malum non extendebatur, prope cardiam etenim nullus tumor, nulla induratio, nihilque a ſtatu naturali alienum apparuit, niſi inſolita tubi oeſophagei, quemadmodum reliquarum etiam partium, flacciditas (*m*.).

Præ-

Præterea & hoc notandum, pulmonis dextri ſuperiorem partem hic & illic exhibuiſſe puncta albida, ejuſdem coloris ac erat materia in ipſo pulmonis ſacco præternaturali contenta: inferior ejus pars nihil vitioſi exhibebat, præter levem ad pleuram adhæſionem. Siniſter pulmo integer erat ſanuſque, & ab omni morboſo nexu immunis. Tandem in cavo thoracis & pericardii inſignis aquæ foetentis, fuſcique coloris, quantitas erat conſpicua.

In cardia nihil notabile invenimus. Neque ventriculi parietes erant indurati, ſed in ejus curvatura ſuperiore, inter cardiam & pylorum ad ſiniſtram magis quam dextram partem, habebat glandulam induratam, ſuperius memorata non multo minorem, ejuſdem duritiei ac coloris (*vid. Fig. III. Tab. VI.*): adjacebant & huic corpuſcula graniformia etiam dura. Cæterum ventriculus erat extenuatus & membranæ pellucidæ ſimilis, adeoque fragilis, ut ſine laceratione a digitis aut volſella arripi vel tractari vix poſſet, & continebat aquam turbidam fuſci coloris. Inteſtina omnia tenuia & craſſa in naturali ſitu poſita, itidemque valde extenuata, continebant ſcybala duriſſima nigra: veſicula fellis, uti in inedia exſtinctis fieri ſolet, magna erat, & bile turgidiſſima: hepar autem, & cætera organa, quæ in abdomine continebantur, naturaliter conſtituta erant quoad mechaniſmum, ſed valde flaccida, extenuata & mollia.

Totum denique Corpus valde emaciatum & quidem inprimis dextrum femur: in diſſectarum partium vaſis vix ullus obſervabatur ſanguis, ita ut ſectio hujus cadaveris fere incruenta fuerit.

Partes morboſas delineandas curavi in Figuris Tab. VI. huic Diſſertationi adnexis, inque ſingularis rei fidem eaſdem in liquore ſpirituoſo conſervandas eſſe putavi.

Ex quibus patet, Ægram noſtram, durante miſera ſua vita, non tantum vera Dyſphagia laboraſſe, ſed etiam, ex concretione morboſa Pulmonis, affectione peripneumonica & inſequente vomica; unde ſanguinis excreatio, variæ materiæ & ſpeciatim cremoraceæ rejectio, & multa alia memorata ſymptomata explicari facile queant.

Obſervatio. I I.

In cadavere Infantis quinquennalis (quod pro anatomicis exercitiis acceperam, ſed de cujus hiſtoria morbi mortem prægredientis nihil reſcire potui, adeoque nihil etiam exponere queo) aperto Thorace, vaſa ejus præparandi ſcopo, paulo ſupra cordis baſin, juxta latus dextrum aſperæ arteriæ (*Fig. IV, d. Tab. VI.*) percipiebam tumorem quemdam durum, qui tantopere verſus anteriora prominebat, ut diviſio venæ cavæ ſuperioris inde valde comprimeretur & ſupra tumorem eum

eſſet

effet diftenfa, magis quam naturaliter effe folet. Pulmo dexter variis locis indurationibus laborabat, cujus etiam portio relicta eft in objecto, quod in Spiritu Vini confervo (*e*). A parte anteriore autem quum nihil amplius confpici poffet, eximebam omnia vifcera thoracica: tum quoque a pofteriore idem apparuit tumor comprimens pro parte oefophagum (vid. *Fig. V. d. f. Tab. VI.*) non autem omnis hinc intercipiebatur a faucibus ad ventriculum via, nec Dyfphagiæ effectus in vita Infantis adfuiffe videbatur, quoniam habitus corporis magnam emaciationem non monftrabat.

Adduxi autem hanc Obfervationem, ut inde pateat fucceffivus ille moleftæ Depulfionis gradus, induratæ enim talis glandulæ moles identidem perdurantibus caufis mali, major fieri folet: fi ergo hæc glandula in refpiratione (nam dexter pulmo inde plurimum comprimebatur) & circulatione turbas non tantas excitaffet, & infans hicce aliquod tempus adhucdum vixisfet, probabile eft, quod capacitas oefophagi magis magifque inde imminuta & Dyfphagia tandem producta fuiffet.

Obfervatio. III.

Liceat mihi ex propriis Obfervationibus Anatomicopathologicis etiam fequentem hic apponere, quæ ad illuftrandum morbum, quem in hac Differtatione tractavi, mihi quoque

que aliquid conferre poſſe videtur. Juvenis viginti circiter annorum elapſa hieme moriebatur anxietatibus validis & ſummis ad præcordia doloribus. Aperto cadaveris thorace Pulmones, multo magis quam naturaliter verſus latera erant repreſſi per tumorem magnum in medio pectore apparentem, extus habentem formam maſſæ pinguedinoſæ, ingentis magnitudinis. Ulteriore vero examine apparuit, illum eſſe pericardium valde degeneratum, quod ad baſin cordis erat admodum durum, & preſſioni digitorum non cedens. Juxta hunc tumorem manum verſus inferiora ducens, percepi amplum ſaccum propendentem inter Pulmones, uſque ad ſpinam dorſi: quo aperto, effluxit quantitas magna materiæ ſpiſſæ purulentæ, coloris ſubflavi virideſcentis, inodoræ poenitus. Cordis exterior ſuperficies obducta erat membrana, ex inſpiſſato pure conſtante, inſerente etiam ſe inter fibras. Pulmones naturaliter erant conſtituti, ſed verſus coſtas repreſſi. Inferior pars Oeſophagi, cum ſuperiore Ventriculi, ruberrimum habebant colorem ibi loci, ubi ſaccus his incubuerat, & inflammationem paſſæ videbantur: inferior ventriculi pars bilioſa materie valde tincta erat, & cavum ejus atque inteſtinorum tenuium cibis & chylo vacuum, dum in craſſis ſcybala quædam duriora, pauca tamen, conſpiciebantur.

Dolui, me nihil de decurſu morbi ejuſque ſymptomatibus ſcire potuiſſe, niſi quod anxietatibus ſummis, & magnis circa

præ-

præcordia doloribus, ante mortem Defunctus adfectus sit: videtur tamen concludendum ex cadaveris inspectione, in vivente ægroto depulsionem alimentorum impeditam & interceptam ex dicta causa fuisse, si adtendamus ad pressionem mechanicam sacci purulenti, & ad ejus effecta, scillicet inflammationem partis compressæ & absentiam materiæ alimentaris in ventriculo atque intestinis tenuibus.

Observatio. I V.

Virgo quædam quadraginta & quinque annorum, habitus robusti, & modestæ vivendi conditionis, cui menses per anni spatium jam fluere cessaverant, denuo parva sanguinis ex genitalibus evacuata quantitate fluxum nullum postea experiebatur: sana tamen erat: donec versus finem anni 1779. corripiebatur sensu difficilis alimentorum descensus prope cardiam, qui sensim adaugebatur: utebatur tum consilio soliti sui Medici Doctissimi PELGROM, verum quum juxta ægrotantis opinionem malum eo non satis cito cessaret, (uti in hoc morbo frequentissime fit) adiit medicastrum, qui ægrotanti pollicebatur, se intra breve tempus istius malum sanaturum: Præscripsit eo scopo arcanos aliquot pulveres, quos partitis vicibus assumere debebat; quo facto non adeo faustus sequebatur eventus, nonnullis enim horum pulverum assumtis correpta fuit hæc ancilla

anxietatibus violentiſſimis, & vomitu dolorifico, quæ ſymptomata per quatuor horas & ultra durabant, nequaquam etiam cum decremento mali in oeſophago, quare reſiduis, quos habebat, redditis pulveribus, atque ſolutis, quibus uſa fuerat, hunc hominem reliquit, & meliore uſa conſilio adiit celeberrimum medicum & medicinæ tunc temporis Leidæ Profeſſorem noſtrumque ſimul Præceptorem VAN DOEVEREN, qui mali indolem ab obſtructionibus & forte indurationibus in oeſophagi vel ei adjacentibus glandulis derivans, a reſolventibus auxilium petiit & præſcripſit ſequentem formulam.

℞. *Succ. inſpiſſ. cicut. Veræ* ʒß.
Calomel ℥ß.
Sulph. Antim. Aurat ʒj.
f. Pil. nſ. CXX.

Quarum ſumat mane & veſpera duas pilulas, & quoniam non raro malum augeri cernebatur a conſtrictione oeſophagi ſpaſmodica, morbum comitante, nec non doloroſa ejuſdem organi affectione, ſimul data ægrotæ fuit mixtura hæc omni bihorio vel pro re nata & urgente neceſſitate cochleatim aſſumenda, pro mitigandis hiſce querelis.

℞. *Aq. St. Meliſſ.* — *Ruthæ ac.* ℥iv.
Pulv. Caſtor. gr. viij.
Laud. Liq. Sydenh. gtt. xij.
Syr. Artemiſiæ ℥j.

M Sa-

Salutares, quos ab usu horum remediorum experiebatur effectus, mecum fovebant spem, fore ut ad perfectam sanitatem duceretur.

Quum autem tempus protractum & patientia summa ad hæc requirebatur, jam verebar, ne & hæc ægrota quamvis levamen sentiret, plurimorum exempla sequeretur, & plebiculæ vel anus cujusdam consilio sese traderet, aut moræ impatiens, aptissimorum remediorum usum non satis diu protraheret, ut malum his superari possit.

Pilulis hisce resolventibus atque mixtura antispasmodica usa fuit usque ad 15. Julii indies sese ab hisce remediis melius habens: tunc autem consilio Clarissimi Præceptoris ad me, qui initio hujus mensis in Urbem patriam Lugdunis Batavorum, praxin Medicam exercendi causa, reversus eram, accessit, questa de nauseis atque vomituritionibus, a pilulis matutina hora assumtis, quæ vomituritiones etiam dolorem aliquando in affecta parte excitabant; quum hæc jam sæpius inde fuerat passa, abhorruit eo tempore a forma pilulari & a me petiit, nonne eadem remedia forma mixturæ sibi præscribere possem: quum autem hæc phoenomena potius præparato antimoniali quam formæ pilulari tribuerem præscripsi seq. mixturam.

℞. *Aq. Meliss.* ℥ viij.
Gumm. Arab. ʒ j.
Succ. insp. Cicutæ ℈ j.
Merc. Vivi ʒ ß.
Syr. Altheæ ℥ j.
Exacte. Misceatur

Ut hinc ante meridiem partitis vicibus tria Cochlearia sumeret, dum in usu pilularum a Cl. Professore VAN DOEVEREN præscriptarum ad vesperam pergeret, quas eo tempore ventriculus quoque ferebat, certe quia stimulus remedii Antimonialis sæpius nauseam excitare soliti eo tempore ab alimentis de die assumtis magis involvebatur, dum mane vacuo ventriculo directe parietibus applicatus majores edere deberet effectus.

Ab hisce medicaminibus multum videbatur morbus minui, quum non fluida tantum alimenta, sed etiam solida, panem butiraceum, carnes vitulinas aliaque id genus commedisset juxta proprium testimonium sine molestiis.

Tertio autem Septembris querebatur de alvi constipatione, quæ tamen actionem oesophagi non multum impediebat, soluta enim facile hæc fuit electuario leniter laxante ex pulpa Cassiæ, Manna electa & Oleo Amygdalarum dulcium.

Ejusdem mensis 17°. patiebatur dolores vehementes ad partem affectam, quos sponte exortos pronunciabat, suspicabar autem illam, quum vegetus eo tempore esset appetitus, aliquid co-

comediſſe, quod ipſa ſibi noxium putaret, & hanc cauſam celare voluiſſe, propter ſerias cautelas, quas in præſcribenda diæta illi impoſueram, adeoque non niſi palliativam medicinam adferre hic potui; ut igitur mucus deraſus recuperaretur & ſenſilitas partis minueretur præſcripſi mixt: ſeqq:

℞. *Aq. Flor. Rhoead.* ℥ vj.
Gum. Arab. ʒ ij.
Laud. Liq. Syd. gtt. x.
Syr. Flor. Rhoead. ℥ j.

M

Effectus hujus remedii expectationi quam optime ſatisfecit; Nam ab ejus uſu optime ſeſe habuit, imminutis doloribus & oeſophago alimenta molliora tranſmittente.

2°. Vero menſis ſubſequentis Octobris a magno & protracto refrigerio, cui ſeſe dederat, incidit in febrem quotidianam intermittentem, cum alvi conſtipatione, & oeſophagi majore coarctatione (non tamen ita, quin lac, in quo fruſtula panis eſſent macerata, poſſet deglutire,) ſumma tamen aderat virium proſtratio; poſt tres quatuorve paroxyſmos autem aperientibus & leniter eccoproticis cedebat hæc febris, dum relicta virium proſtratio confortante mixtura aliquoties repetita corrigebatur feliciter.

Poſt incidentem hunc morbum omnia faſtidiebat remedia, perhibens ſe nunc vix ab oeſophago laborare, ſatiſque felicem

& contentam fore, ſi in tali ſtatu maneret, & quamvis mille modis ei de neceſſitate uſum medicamentorum reſolventium protrahendi perſuadere conarer, neglecto tamen omni conſilio, ab hoc deſtitit, & licet poſt illud tempus malum ſenſim caput iterum extolleret, atque conſanguinei ſæpius exhortarentur, ut medici auxilium imploraret, non ante tertium diem menſis Aprilis ſubſequentis anni 1781. ad me acceſſit, quum materies purulenta, jam bis etiam ſanguine tincta, & foetore admodum ingrata, ore rejecta fuerat, quæ rejectio violentiſſimos cruciatus & enormes produxerat dolores; dum ſimul hoc tempore anguſtatio oeſophagi in tantum erat adaucta ut tranſitus etiam fluidiſſimis quandoque negaretur; nondum mortem inſtantem minantis periculi gnara, ab alvi conſtipatione hæc ſymptomata produci credidit, & alebat ſpem, remedio laxante ſumto, has moleſtias iterum ſuperatum iri; ex memoratis autem mea indicatio fuit palliativa, atque operam dandam eſſe credidi, ut partes adeo irritatæ oblinirentur, ut vires adeo his torminibus fractæ refocillarentur, & alvus clauſa leniter ope clyſmatum ſolveretur; horum autem, per diuturnitatem morbi moroſa facta, nolebat permittere applicationem, quare ſeq: Redio factæ indicationi ſatisfacere tentabam.

℞. *Extr. Cort. Peruv.* ʒj.
Bol. Armen. ℈jß.
G. Arab. ʒjß.
Pulv. Rhei El. ℈ij.
Syr. Flor. Rhoead ℥ij.
M
ſ. quovis ſemi horio Cochlearculum.

Sperans fore ut, ſi hiſce ſymptomatibus levamen adferre mihi contingeret, eo tutius ad reſolventium remediorum uſum redire poſſem, & in tantum meo ſcopo ſatisfactum vidi, ut dolores ceſſarent, & vires eo uſque reſurrexiſſent, ut res domeſticas poſſet peragere, alvus tamen nondum ſatis ſolvebatur.

8°. Aprilis, quum ſeſe ſatis bene haberet reſpectu ſtatus in quo paulo ante verſabatur, libera enim a doloribus, fluidiora alimenta aſſumſit, iterum remedia ante memorata relicto Sulph. aurato Antimonii præſcripſi abſque ſperato tamen ſucceſſu, nam

13°. Aprilis incepit muci tenacis, quam ante hoc tempus non notabili copia reddiderat, ingens & moleſta excretio, nullo tamen intermixto ſanguine aut corrupta foetente materia, neque etiam comitantibus doloribus ut ante, ſenſim tamen increſcente anguſtatione tubi & alvo non niſi clyſmate provocando.

23. Ejuſdem menſis ne guttulam aut medicamentorum antiſpaſ-

ſpaſmodicorum aut reſolventium & nequidem blandiſſimorum potulentorum admiſit oeſophagus, quin mox cum aſſumtis eructabat ingentem muci atque materiæ corruptæ ſanguine commixtæ, quantitatem, preſſa ſimul ingentibus anxietatibus, lingua erat arida prærubra, & coacta erat os refrigerare collutione vel lactis ebutirati vel emulſione Amygd: & Sem: Frigid: cum Sp: Vitrioli ad gratam aciditatem; alvus penitus ſilebat, & vix ope clyſmatis ſemel provocari poterat; nutrientia, quæ applicari curabam non retinebat, & erat ſemper in quaſi animi deliquio, ad alloquium autem vel meum vel conſanguineorum mentis præſentiam ſemper monſtrabat, ſed debiliſſima admodum, dum vires non erigendæ videbantur, quam per moleſtiſſimum muci ſputum, quo facto magis iterum erant collapſæ, donec ſeptimo Maji mors inevitabilis hiſce miſeriis finem imponeret.

Cadaver, quod rogatu conſanguineorum octavo Maji examini anatomico lubenter ſubjeci, ſequentia exhibuit.

Externe corporis forma ſignificabat notabilem emaciationem reſpectu habito pinguedinis, quâ ante morbum nitebat hæcce virgo; Inciſa autem integumenta nondum omni adipe erant deſtituta muſculis ſatis firmis rubicundus erat color, hiſce a ſterno & coſtis ſeparatis, omnes cartilagines in oſſeam plane naturam converſos offendebam, quæ mutatio non facilem laborem pariebat in aperiendo thoracis cavo: quo tamen aperto

&

& reclinato cum ſterno mediaſtino, pulmones & cor naturaliter conſtituta inveniebam, æque reſpectu fabricæ ac ſitus, præterquam quod dexter pulmo pro parte pleuræ accreviſſet; ab utraque jam latere manu pulmonem ad tollens digitis oeſophagi tumorem & indurationem in medio thorace detexi, pulmonum tamen ſitum immutatum relinquebam & priuſquam hoſce loco dimoverem, ſeparavi muſculos anteriores ac laterales colli a larynge, cujus cartilagines cricoideam & thyreoideam, adeo induratas inveni, ut cultro anatomico deſcindi haud poſſent, dum glandula thyreoidea ſanam monſtrabat fabricam.

A ſuperiore parte incipiendo laryngem aſperamque arteriam ſenſim ab oeſophago ſeparabam, qui a pharynge uſque ad tertiam dorſi vertebram, integer erat, inde vero jam apparuit morboſa partis conſtitutio, illa enim oeſophagi pars, quæ parti aſperæ arteriæ membranoſæ per telam celluloſam cohæret, erat adeo extenuata & cum hac tam fermiter cohærens, ut vix abſque læſione ſeparari poſſet, quod tamen prudenter ſenſimque progrediendo peragebam, & pulmones cum corde ſimul eximebam, in ſitu oeſophago intacto, hic ab illa extenuata parte ad ſeptem imo ferme octo digitorum tranſverſorum verſus inferiora amplitudinem, degenerationem maximam indicabat, erat enim durus ad tactum, & in quoque latere auctus craſſitie, concretus cum duabus glandulis adjacentibus, induratis etiam atque coloris præter naturam fuſci & corrupti, quæ

glandulæ mediam morbofam partem occupabant, infra has eadem aderat, durities, ac fupra ad trium digitorum tranfverforum latitudinem, dum glandularum extenfio ferme duos digitos tranfverfos æquat, itaque totius mali extenfio ferme octo digitorum tranfverforum latitudinis eft, infima tubi pars in ventriculum ufque incorrupta apparebat, naturali colore mollitie atque capacitate.

Ventriculus admodum erat contractus, ejufque fitus multum a folito erat diverfus, ita ut curvatura major in longitudinem porrigeretur, & intra curvaturam minorem pancreas nudum appareret; fublato hepate præmagno, hujus lobus finifter enim finiftrum latus plus folito occupabat, ita ut finiftra diaphragmatis pars non minus quam dextra in thoracis cavum adfcenderet, cæterum erat naturalis coloris uti omnia abdominalia, quorum omnis pinguedo etiam nondum erat confumta.

Poftquam fic externum partium habitum in confpectum duxeram, quo accuratius ipfam morbofam partem inveftigare liceret, per longitudinem ipfum oefophagum aperui: qui fefe habet uti in Tabula ultima addita expreffum eft: fuprema pars interne æque ac externe naturaliter conftituta erat, affectæ vero portionis fuperiorem partem occupabant multæ excrefcentiæ duriufculæ, fcirrhofæ, uti videbantur variæ magnitudinis, quarum nonnullæ nil nifi præternaturalem magnitudinem monftrabant, aliæ jam majorem degenerationem, quæ colorem nigricantem

tem habebant; illæ quæ nondum corruptæ erant, in ſuperficie habebant foraminula, quædam unum, quædam plura, majora & minora, hæc ſetam porcinam illa ſtilum argenteum admittebant facillime, quæ marginibus duriuſculis gaudebant, ſimilia fere erant illis, quæ apparent in inferiore inteſtini recti parte, & productulis excretoriis glandularum aut cryptarum, quæ mucum ſecernunt, inſerviunt, occupabant hæ excreſcentiæ, quæ certe glandulæ ipſius oeſophagi induratæ & tumefactæ ſunt, tractum tubi ad latitudinem duorum digitorum tranſverſorum, & capacitatem ejus adeo imminuebant, ut fere omnis alimentorum tranſitus hiſce præcluderetur, infra eas ſuperficies interna excoriata quidem, ſed magis glabra & paulo capacior, parvo tamen modo ſpatio, unde propter notabilem parietum degenerationem & induratas adjacentes glandulas iterum erat anguſtior, dein verum capacitas canalis augebatur induratis tamen tunicis, infima iterum affecta portio ejuſdem naturæ excreſcentias fungoſas monſtrabat, minoris tamen molis, minus etiam corruptas & viam non adeo ac ſuperiores obturantes, neque manifeſta adeo foraminula monſtrantes.

Intima iterum tubi pars erat laxa & mollis, plicis tamen aut rugis majoribus, quam in ſuperiore ſana portione præditas, & revera figuram valvularum longitudinalium habentes.

In cardia nihil adeo præter naturale aderat, neque in ventriculo, continebat vero hic materiem liquidam corruptam

 pa-

parumque foetentem ejuſdem fuſci coloris cum illâ, quæ morboſam partem ubi excoriata eſt, occupabat; Lien, omentum & omnia cetera abdominalia viſcera habitu ſana erant & nihil exhibebant a ſtatu naturali aberrans.

FI-

FIGURARUM EXPLICATIO.

TAB. VI.
FIG. I. Repræſentat Laryngem, Aſperam arteriam, Oeſophagum morboſum, arteriam Aortam, aliaſque partes ab anteriore.

a Epiglottis.

bb Cornua oſſis Hyoidis.

c Cartilago Thyreoidea.

d Glandulæ Thyreoideæ pars.

e Aſpera arteria.

ff Bronchia elevata cum aſpera arteria.

g Glandula indurata oeſophagum in collo premens.

h Oeſophagi pars ſuperior dilatata ultra ſolitum.

ii Foramen oeſophagi præternaturale cum vomica Pulmonis dextri communicans.

k Tumor indurati oeſophagi.

ll Pars oeſophagi indurata, colloſa, coarctata.

m Pars oeſophagi immutata.

nn Orificium arteriæ Aortæ in ſuo arcu abſciſſæ.

o Arteria ſublavia ſiniſtra.

pp Aorta deſcendens.

qq Nervus octavi paris ſiniſter.

FIG. II. Exhibet Pharyngem, Oeſophagum, ceteraſque *Fig^ae^*. I. partes a poſteriore.

a, *bb*, *d*, *e*, *ff*, *g*, *h*, *ii*, *k*, *ll*, *m*, *o*, *pp*, *qq*. Eædem partes, quæ in Figura prima, a posteriore delineatæ.

cc Pharyngis pars posterior.

*g** Locus, in quo glandula indurata inprimis oesophagum comprimebat.

nn Portio Venæ innominatæ relicta cellulosæ induratæ tenaci inhærens, quæ etiam firmissime aortam cum oesophagi tumore (*k*) connectebat.

FIG. III. Delineatam sistit Glandulam ventriculi induratam in prima observatione memoratam, cum membranarum ejusdem portione.

FIG. IV. Arteria aspera & Oesophagus cum accumbente tumore induratæ Glandulæ, invento in cadavere Infantis quinquennis, ut anterius conspicuæ sunt hæ partes.

aa Oesophagus.

b Aspera arteria.

cc Bronchia.

d Indurata Glandula oesophagum a latere & postica parte premens.

e Indurata portio Pulmonis dextri.

FIG. V. Earumdem Partium a posteriore delineatio.

aa,

aa, *b*, *cc*, *d*, *e*, eædem partes a poſteriore ac in *Fig.* IV.

f Locus, ubi Glandula indurata (*d*) oeſophago accumbit, eumque premendo apta eſt.

TAB. VII. Oeſophagi morboſi figura delineata eſt.

aaaa Repreſentat ſuperiorem partem oeſophagi nondum morboſe affectam, ſatiſque laxam.

bbbb Tractum oeſophagi morboſum inquo notandæ.

ααα Intumeſcentiæ plicarum præternaturales.

ββββ Glandulæ ipſius oeſophagi præternaturam tumentes, induratæ, oſculis excretoriis itidem induratis conſpicuæ.

γγγ Excreſcentiæ ſcirrhoſæ aut carcinomatoſæ glandularum earundem.

δδ Craſſities aucta totius ſubſtantiæ oeſophagi.

ε Propendens glandula oeſophagi indurata & corrupta coloris obſcuri.

ηηηη Glandulæ dorſales induratæ figuræ irregularis, tumidæ atque cum ſubſtantia oeſophagi ita concretæ, ut idem corpus conſtituere videantur.

θθθθ.


θθθθ Interior affectæ partis ſuperficies abraſa tunica intima & obſeſſa corrupta bruna materie ſpiſſiore, nerveæ degenerationem oſtendens.

cc Inferior pars oeſophagi ſatis ampla, rugis tamen majoribus & quodammodo durioribus quam ſuperior prædita.

Tab. I.



Tab. [illegible]



Tab. III.




Tab. IV.




Tab. V.





J. J. Bylaart ad Obj: delin:

R: Muys Sculp:


a
a
a
a
b
b
α
α
α
α
β
β
β
β
γ
γ
γ
δ
δ
ε
ε
ε
θ
θ
b
b
c
c